




Pauli Reneal hiſtor. Plant
1
7
264









XIV
REN
er
THV

a

PAVLI

RENEALMI

BLAESENSIS

DOCTORIS MEDICI

Specimen Hiſtoriæ Plantarum.

Plantæ typis æneis expreſſæ.





PARISIIS,

Apud HADRIANVM BEYS, ſub ſigno Stellæ aureæ, via Iacobæa.

M. DC. XI.

ILLVSTRISSIMO CARDINALI

IACOBO DAVY

DV PERRON, SENONVM ARCHIEPISCOPO, GALLIÆ ET GERMANIÆ PRIMATI, MAGNO Franciæ eleemosynario.

PAVLVS RENEALMVS. D. M. S. D.



AD morborũ curationem duo sunt necessaria, illorũ dignotio, & idonei medicamenti cognitio : quis enim posset percurare morbum, quem non dignosceret ? In symptomatis sedandis forte insudaret, neque fontem exhauriendum aggrederetur, aut bilem pro pituita, aut pro bile pituitam, aut pro vtraque melancholicum humorem educeret, vbi opus refrigerante remedio, ibi calidum admoueret. Quid inde nisi ægroti pernicies? non est hoc medici officium, empirici potius impostura. Nec vnquam magnum, & memorabile nomen illi, qui neglecta medicamentorum cognitione, totam operam conferet in διάγνωσιν morborum: quippe, si medicinæ optatum finem attingat, videlicet morbi percurationem illud τῇ τύχῃ tribuendum potius, quam τῇ τέχνῃ vel

ipſe inficiari non poterit: nonne & empiricus iudicandus? quid prodeſt morbum dignoſcere, cauſas indagaſſe, niſi illius tollendæ rationem compertam habuerit? ex his iam intelligitur quantum momenti vtrumque habeat in medicina. Quare nunquam ſatis culpandi videntur illi qui cognitionem plantarum (à quibus innumera petuntur morborum remedia) tanquam indignam medico, ad ignariſſimos homines ablegarunt, ſatiſque laboris ſibi inſumptum putant, ſi è quibuſdam auctoribus ſiluas remediorum compilarint, de ſolis nominibus ſolliciti, quæ ſi memoriæ quodammodo mandarint, illico morborum profligationem incognitis armis aggrediuntur: vidi qui helleborum nigrum intrepide præſcriberent νήπιοι! non enim animaduertebant pro radicibus illius hodie proſtare in officinis radices pernicioſiſſimi veneni quod rei herbariæ periti napellum vocant: cum æger interiit, in alias cauſas infœlix caſus reiicitur, quas commentantur, & quàm diſertiſſimè poſſunt, mentiuntur: Quare hac ætate corruptiſſima toti in lingua excolenda incumbunt, rabulas forenſes imitati, magnamque tanquam hamo, vel apud principes commendationem expiſcantur. Vtinam diuini illius ſenis oraculũ alicuius in animis noſtrorum hominum ponderis eſſet, μὴ τῷ λόγῳ μοῦνον ἀλλὰ ἔργῳ νομίζεσθαι τοὺς

ἰησεις. Illis perſpecta eſſet artificum ineptia, qui ſuæ artis ignorant organa; omnes in theſauris naturæ indagandis ſagaciores nos præſtaremus. quippe nõne κυνὸς ὄμματ' ἔχων, κραδίην δ' ἐλάφοιο nos oportet, quos non pudeat ignorare naturam, faciem, verum nomen earum rerum, quarum vires tantopere ad eam, quam profitemur artem ſunt neceſſariæ? nonne ferina ſtupiditas ab ea contemplatione abſterret ad quam ſumma neceſſitas trahit, diuina benignitas artificij varietate, elegantia, & amœnitate vel inuitos inuitat? Multa, non dubito, apud antiquos obſcura, multa inter recentiores contentioſa iſtius cognitionis limini ſpinas horrentes oppoſuere, quas multi noſtro ſeculo exſcindere magna cum laude tentarunt, ſalebras tamen non paucas reliquêre: Nos vero iſtas explanare conati quæ de ſingulis plantis antiqui ſcripſerunt quam exactiſſima potuimus lance iam à multis annis perpendimus, ne temere alteri ſubſtituatur altera: vires autem omniũ quotquot nacti ſumus in nobiſmet ipſis, quoad eius fieri potuit, explorauimus: nomina & ſingulis generibus & ſpeciebus anonymis ab ipſarum naturæ notis petita indidimus: hac ratione viam ad plantarum cognitionem aperire decreueramus, cum nos variæ tempeſtates ab optato portu in exundantes æſtus diſiecerunt, è quibus cum tandem emerſerimus, quicquid in-

defessis laboribus sumus assequuti, id posteris impertiri constituimus; sed occupationes, quibus relaxari nos ars medica non permittit, obstiterunt quominus per otium liceret operi tāto summam imponere manum, iccirco vnam, aut alteram historiam è singulis ferè libris desumpsimus, quæ publicæ fierent donec tempus aliáque ad id necessaria, nobis suppeterent. Nisi autem quidquid hoc est operis tibi literarum lumini & columini consecrauissem officio meo defuisse viderer, præsidiumque summum aduersus inuidorum venenatos dentes mihi non quæsiisse: siquidem illorum aciem tui nominis splendor ita perstringet, vt alio suam rabiem diuertere cogantur, vtinam eo excipias animo, quo tibi offertur. exiguum est munus, sed nullum tua præstantia dignum à mortali sperandum. Vale, Cardinalis Illustrissime, Datum Blæsis VII. Kal. Martias CIↃ IↃ C XI.



PAVLI RENEALMI BLESENSIS DOCTORIS MEDICI SPECIMEN Historiæ Plantarum.

DE GLANDIFERIS ARBORIBVS.



GLANDIFERAS arbores Græci δρύας, huius dictionis significatione in angustius deducta, vocarunt: quamlibet enim arborem hoc nomine antiqui denotabant. Earum quinque species rei herbariæ periti constituendas iudicant: donec sagaciores posteri plures obseruarint: Hæ sunt Quercus, Ilex, Suber, Smilax Arcadum glãdifera, & Phellodrys. Latini verò nulla dictione hanc δρυῶ exprimere potuerunt; quare quidam Quercum interpretati, forte penuriam linguæ vt dissimularent; sed quacunque id ratione fecerint, illos sequemur.

QVERCVS.

Δρῦς apud Græcos præter commemoratas duas notiones accipitur pro specie, proq. eius genere, quod Quercus nomine exprimimus Latine: Clarioris enim doctrinæ causa cogimur ex angustioribus latini sermonis carceribus exire. Huius demùm species quinq. obseruari possunt. Platyphyllos, Hemeris, Phagus, Ægilops, & Haliphlœos.

Πλατύφυλλος

Mas

Ημερίς

Συχνοχεραγμίς

Παυρόχνοις

Esculus Mas

Cerrus

Esculus Fœmina

Αλίφλοιος

PLATYPHYLLOS.

Quam Græci πλατύφυλλον (quod lati ſit folij) vocarunt, dum eorum lingua floreret; antiquiores, teſte Plinio, σάρωνον dixerunt, Hippocrates etiam βάλανον appellauit, Latini Quercum proprie. Galli *Cheſne*. Itali *Quercia*. Hiſpani, *Robre*. Germani *Eicbaum*.

Species.

Platyphylli quatuor ſunt ſpecies, mas, fœmina, ſemper virens, & humilis.

MARIS

Forma.

Arbor procera eſt, & radicibus in altum demiſſis ventorum eludit impetum, caudice recto, quem aiunt, quod & in aliis quibuſdam obſeruari poteſt, ſi iuxta terram exſcindatur, non quidem craſſiori ſerra, circularibus fibrarum ordinibus ſuorum annorum æquare numerum, cortice inferna parte rimos, & ſcabro: ſuperna, candicante & læuiore in multos dein ramos diuiditur, qui foliis ſtipantur profundè inciſis, duos pollices latis duplo longioribus, parum admodum ſucculentis, ambitu ſinuoſis, læuibus, ſupina parte virentioribus. Flores ex hornis ramulis aut ex nouellorum baſi Iulorum inſtar verno tempore dependent. At ex nouellorũ, ineunte iam æſtate, extremo glandes prodeunt pollicem longo affixæ pediculo binæ raro ternæ ſæpius vnicæ oblongæ, quam Hemeridis tamen breuiores, in quarum faſtigio eminet aculeus breuis, nec magnopere pungens, puſtulata ſcabritia calyci aſperato imponitur. Putamen eſt admodum læue, continetque nucleum, qui etſi in duas partes per longitudinem poteſt diuidi, nihilominus vnica, tenuique tunica veſtitur. Denique ſi ramuli à biennio ad octennium nati tranſuerſim ſcin-

dantur exſiccati, in ſui medio ſtellæ figuram oſtendunt, quod & in fœminis poteſt conſpici.

FOEMINA.

Duæ ſunt fœminæ ſpecies συχνοχαραγμὶς, & παυροχνοίς.

ΣΥΧΝΟΧΑΡΑΓΜΙΣ.

Sic dicitur quod frequentes inciſuras habet.

Forma.

Cortice rubeſcente ſuperbiunt tenelli ſurculi, folioque ſunt breuiore, ad baſin magis acuminato colore nitidius vireſcente, vtroque ex latere, tam denſis laciniis ſinuoſo vt criſpum iudices, vtraq. ex parte lanuginoſo, ſed ſupina pauciorem habet lanuginem. glandem verò puſillam profert; apricis & lapidoſis caulibus amica.

ΠΑΥΡΟΧΝΟΙΣ.

Quod exiguam haberet lanuginem hoc nomen adepta.

Forma.

Folio etiam quam maris breuiore, at ad extremum latiori & magis obtuſo, prona quidem facie pallido & lanuginoſo, ſed perſpicaciſſimis oculis eſt opus ei qui lanuginem obſeruare voluerit. præterea habet eadem in parte neruos ad latera lanuginoſos: glandes profert; quam mas, minores, ſed raro binas, frequẽtius plures, in ſurculorum vertice ad extremum tanquam retuſæ digito foſſulam habentes, & apicem minimum. è calyce parum ſeſe exerentes, ipſique firmiter adhærentes, hócque notandum, fœminas marib. eſſe humiliores, lignoque ſunt fragiliori, earum

præterea

præterea glandes ramulorum extremis ſine pediculo adnaſci. aut ſi quem habeant, (quod rarum) is breuiſſimus eſt.

PLATYPHYLLOS

ſemper virens.

Quercum virentem perpetuo his addendam cenſeo, de qua ſic Plinius ex Theophraſto. in Thurino agro, vbi Sybaris olim fuit, ex ipſa vrbe proſpiciebatur quercus vna, nunquam folia dimittens, nec ante mediam æſtatem germinans. Tales hodie in Apennino & Andium noſtræ gentis agro quædam viſuntur. vt obſeruauit Dalecampius, & in montibus Alpinis Herculeo freto vicinis frequenter occurrere Cluſius teſtatur.

Frigidarum regionum Syluæ quercubus redimitæ conſpiciuntur, non tamen calidas aſpernantur.

Florent vere, autumno fructus perficiunt.

Quercus & olea tam pertinaci diſſident odio, vt altera in alterius ſcobe depactæ moriantur: Quercus verò & iuxta nucem iuglandem, & ſub quercu iuglans nata ſtatim pereunt.

Vſus, Temperamentum, & Vires.

Illam ædificiis quidem inutilem & carboni, dolatamque vitiis obnoxiam dixit antiquitas. Theophraſtus μοχθηρὰ τῆς πλατυφύλλου τὰ ξύλα. rurſus πελεκυθέντα μὲν ὅλως ἀχρεῖα. Sed ſi ad poſteros prouocet latifolia quercus, tanti viri eleuabunt ſententiam tigna, trabes, innumeraque alia, quibus, vt accommodatior euadat decreſcente Luna, menſe Ianuario, vel ante Februarij vigeſimum media ex parte abſcinditur: ſic enim diſtillante ſenſim humiditate fibræ interiores coarctantur, anno tandem elapſo, tota exſcinditur, aut, quod minus probatur, illo tempore proſternitur, ne cortice quidem nudata, donec interna humiditas

fuerit paulatim absumpta, alias enim torquetur, & efficit ea in quibus est operibus rimosa: sed has frustra cautiones adhibueris, nisi corticem abradendum curaueris: breui enim cariem sentiret, quæ ad interiora deduceretur. At verò si aquis immergenda, aut in terrenis operibus obruenda fuerit, lapideam sibi duritiem vindicat infinitamque habet æternitatem.

Ex illius trunci ligno ignis vix, ac ne vix quidem foueri potest, nisi alia facile flammam concipientia succendantur: Carbonis hoc vitium est, quod desinente flatu protinus emoriens sæpius recoquitur, cæterò multis scintillis, ærariorum officinis tantùm compendio: Nouellarum & ramorum non eadem omnino est ratio: quia vt non tam difficile flammam admittunt, sic carbo ex illis ignem melius fouet, caloremque ardentissimũ excitat. Cortex item ex his detractus, & in tenuissimum pollinem comminutus, ad coria densanda est admodum vtilis. Cæterum in quercu multa sunt remedia, siquidem liber, folia, flores, glandium calyces, glandesque ipse resiccant, & astringunt in tertio gradu, cum mediocri refrigeratione, quare fluxũ muliebrem immoderatum, ventris profluuia, hæmorragias quacunque ex parte sedant. ex illius ligni scobe extrahitur arte chymica spiritus, seu tenuissimus liquor, & purissimus, aciditate sua margaritis dissoluendis, & sudoribus promouendis magnopere inseruiens. Glandes hominum palato aduersantur, suibus vero gratissimæ, ipsumque pecus diffusum & grauissimum faciunt. Esitatas antiqui obseruarunt venenis resistere, & vi diuretica pollere. Aqua in truncis excauatis aliquandiu stagnata scabiem vlcerosam sanat. Quid & carbo non caret remedio, nam tritus, & cum melle mistus carbunculum sanat. Ex cremata quercu nitrum fieri aiunt.

Demum qui seruaturis diuturnum decus syluis suas domos ornare volunt, non abs re glandes quercus serunt, centum enim

adolescit

adoleſcit annis, centum viget, totidemque ſeneſcentis illius paulatim putreſcit materia, cortice tamen ſæpius integro, illamq; ideo compenſat iacturam fœcunditate glandium: quódque à vertice labes incipit, ramis inferioribus fructuum copia ſuperiores cedunt.

QVERCVS HVMILIS.

Ad pedalem altitudinem attollitur, ramuloſque habet tenues, & flexiles, vulgaris quercus ſimiles, folia non ſinuoſa, ſed profundis inciſuris ſerrata, glandem etiam quernæ ſimilem magnitudine, forma, & nuclei amarore, calyci maiori inhærentem in calidis regionibus obſeruata.

ROBVR.

Idæi ἡμερίδα, Macedones ἐτυμόδρυν vocarunt, hoc veriquercum Latinè ſonat, illud placidam ſiue domeſticam poſſumus interpretari. Lat. *Robur*, Galli *Rouure*, *Roble*, & *Chermillat*. Itali *Rouere*.

Species.

Quatuor ſunt ſpecies, nomine generis prima retinet, ſecunda σκληρόξυλος, tertia κηκιδόφορος, quarta ῥιπτώδης dicitur.

Forma.

Profundè ſuas agit radices: rimoſo aſperoque cortice horridus eſt caudex humilis, & contortus aliſque ramorum frequentiſſimis cauatus. materia vero paulo minus, quam Eſculi dura, firmaque. Folia ſunt quam Quercus magis ſinuoſa, nec adeo virentia, prona facie molli, canaque lanugine pubeſcentia. glandes fert omnium maximas, & longiſſimas, è ſuo calyce breuiore, ac depreſſiore facile deciduas, quæ modo vnicæ, modo

geminæ, & quod huic peculiare eſt, è longo tenuique pediculo dependent, ſaporis deniq; poſt Phaginam & Iliquã dulciſſimi.
Arenoſo ſterilique gaudet ſolo.

ΣΛΗΡΟΞΥΛΟΣ.

Quod durum ſit lignum, hoc nomen habuit Duriligna Latinè dici poteſt.

Forma.

Quercus fere magnitudine in Auſtria, Styria, & Pannonia creſcens, ſtrigoſa, & quam illius ligno duriore, folio minus amplo altera parte nonnihil incano, exiguam glandem fert. Incolæ à duritie *ſtainaichel*, Vngari *chemenicherſa*, nonnulli *muſral*, vocant.

ΚΗΚΙΔΟΦΟΡΤΟΣ.

Κηκιδόφορτος ideſt Galliferax dici poteſt.

Forma.

Humilior eſt & interdum humanam altitudinem non excedens alioqui Etymodryi facie, foliorum forma, canitieque omnino ſimilis, fert hæc prægrandes gallas, támque frequentes vt ramulum vix palmum lõgitudine ſuperantem nouem aut pluribus gallis onuſtum videre poſſis. Hæ ſunt ramo fere contiguæ, ſine vllo ordine, rotundæ quidem, ſed aliquot tabernaculis exaſperatæ: dum recentes pręſertim qua ſolent ſpectant, ſubrubræ. Inueniuntur & in huius foliis interdum pilulæ iis ſimiles quæ Platyphyllo foliis innaſcuntur.

Frequens occurrit in Caſtellæ veteris mõtibus, & in Auſtria, ſed hic quam illic gallarum minus ferax. Huius ramis contortis fiſſis & exſiccatis tædæ loco ruſtici vtuntur.

ΡΙΓΩΔΗΣ.

ΡΙΓΩΔΗΣ.

Quod lenta ſit Viminis inſtar ῥιπώδης appellatur.

Forma.

Humanam altitudinem non excedit tenuibus & lentis ramis, foliis galliferaci ſimilibus, ſed minoribus, nec adeo ſinuoſis, huic multæ adnaſcuntur Gallæ, binæ, ternæ, atque etiam quinæ, ſed paruæ.

Montes Robur diligit, valles non aſpernatur.

Fructum ſub Autumno perficit.

Tanta eſt Roboris duritia vt terebrari niſi madefactum illius lignum nequeat, & ne ſic quidem adactus auelli clauus vt dixit, non ſine Hyperbole, antiquitas.

ESCVLVS.

Qua ratione Græcis φηγὸς ἀπὸ τοῦ φαγεῖν, eadem à Latinis Eſculus ab edendo fuit dicta. Alia eſt Fagus Latine appellata, ne quis affinitate nominum decipiatur. de hac ſuo loco.

Forma.

Radice tantum deſcendere creditur quantum eminet corpore: Hemeride non procerior, & non omnino rectus eſt caudex, at craſſiſſimus ramis in orbem diſpoſitis comans: Folia, quam Hemeridis craſſiora, breuiora, obſcurius virentia, & prona facie candicantia, in ramorum ſurculis ad exortum ſingulorum foliorum, vnicam, raro geminam glandem profert teretem longiuſculam, & graciliorem quam quercus, magis acuminatam, magiſque pungenti aculeo munitam. Breui, craſſoque pediculo ſubuehitur calix, glandem ad mediam fere partem amplectens. Eſt & altera quæ glande craſſiore, pleniore, & ob grauitatem decidua tantum differt à ſuperiore. Calidiores amant regiones.

Lignum habet duriſſimum & incorruptiſſimum ex glandiferis omnibus.

In medicina reliquarum quercuum habetur præſtantiſſima. At Glandes, quæ Græcis etiam φηγοί appellantur, & ſi aſtrictionem aliquam habent, vt docet Hippocrates,& res per ſe innoteſcit, medicis qualitatibus ab earundum glandibus longo diſtant interuallo: ſunt enim eſculentæ,eaſque Hiſpani ob ſuauitatem *Vellotas* appellant. Quidam vt palato magis arrideant, ſub cineribus coquendas curant, quocunque tamen modo paratæ capitis grauitatem inducunt hominibus. Sues vero faciũt hilares,carnem coquibilem, ac leuem,& vtilem ſtomacho.

CERRVS.

Αἰγίλωψ ab Idæis, ἀσπρὶς à Macedonibus dicitur. Latinis Cerrus. Italis *Cerro.*

Forma.

Firmis radicibus caudex nititur, excelſiſſimus, rectus. folia profert craſſa ampliſque inciſuris laciniata. Glandem horridam, rotundam ac velut obtuſam, ſapore tam triſti, vt ne ſues quidem, ſi aliud pabulum adſit, velint attingere. Eam calyx fere totam contegit, rigidis, latis, in cinereo candicantibus aculeis echinatus.

In Græciæ & Hetruriæ ſyluis frequens, aliis regionibus multis incognita.

Huius lignum ſi in operibus rectum ſteterit firmiſſimum eſt, cum autem leuiſſimum ſit,& rarum, putredini magis eſt obnoxium, at carboni & igni alendo vtile, ſi modo vehementi calore opus non fuerit.

Glandes ſi quis fame coactus ederit ſummum capitis dolorem experietur. vulgo Gallones, aut Vallonia vocant,vtunturque ad

pannos

pannos nigro colore inficiendos, ſed tinctura longe eſt quam è gallis fugacior.

HALIPHLOEOS.

Idæis & Macedonibus ἁλίφλοιος dicitur ἀπὸ τῦ ἁλὸς τῦ φλοιοῦ quod Theophraſtus annuere videtur, ἡ γὰρ ἁλίφλοιος, inquit, παχύτατον ἔχει τὸν φλοιὸν.i. craſſiſſimum habet corticem. Latini græca ſunt appellatione vſi; qui ſalſicorticem verterunt, tanquam ἀπὸ ἁλὸς compoſitum, hallucinati ſunt.

Forma.

Firmis radicibus & in obliquum actis fulcitur caudex, proceritate, & rectitudine elatus, cortice ſubcæruleo, & craſſiſſimo veſtitus, ramis brachiatus tam breuibus, vt decurtati videantur. exeuntque in folia Cerro ſimilia, anguſtiora, longiora, per latera inciſuris æque profundis, ſed minus latis ſinuoſa, multo magis nigricantia, aſperiora, duriora, hyeme decidua. glandes profert omnium glandiferarum, excepta Ilice, minimas rotundas fere & aliquantulum compreſſas, è ſuis calycibus parum ſeſe exerentes, qui ſpinis longis, flauis, gracilibus & denſis horrent, Caſtanearum inſtar, & ad ſingulos exortus bini ſæpius, breuiſſimo pediculo adnaſcuntur ramis, & ſurculis.

Naſcitur in Hetruriæ ſyluis maritimis, & Apennino, pinguibus quidem & perflatis locis.

Quandoquidem illius ὁ στέλεχος χαιῶον καὶ κοῖλον, vt notat Theophraſtus.i. fungoſum, & cauum, nec ædificiis, nec carboni materiem præbet vtilem.

Omnes illius partes Platyphyllum vincunt aſtrictione, Glans etiam amarore, quare niſi fame adigantur ſues, illam faſtidiunt.

Altera.

In ſylua qua Dolo Veſontium itur, iuxta pagum ſancti Viti

naſcitur Halyphlœos altera, folio hemeridi ſimili virente, non tantopere ſinuoſo, glandibus amplis, tribus quatuorue ſimul iunctis, quæ ſine pediculo ſurculis hærent, calyce valde hiſpido, ſuperiori ſimili.

ILEX.

Græcis, πρῖνος. Latinis, *Ilex*. Gallis, *Iouſe*, *Eouſe*, *Cheſneverd*. Italis, *Elice*. Hiſpanis, *AnZina*, & *Anzintheira*. Germanis *Stecheinchen*, *Eingatung*.

Forma.

Radices alte demittit, caudicem vero ad mediocrem altitudinem attollit frequentioribus quam ſuber: at breuioribus ramis, fronde perpetua lætis: Folia laurinis ſimilis, ante primogenitarum glandium exortum pungentibus denticulis ſerrata, poſtea vero qui enaſcuntur ſurculi folia emittunt, vt plurimum nullis inciſuris crenata, nullis ſpinis horrentia. Iulos quercui ſimiles profert ex hornis ramulis, glandes ex nouellis, à quernarum forma non abſcedentes, quandoque craſſiores, & longiores, interdum tenuiores, breuioreſque, quæ nonnunquam ante maturitatem nigreſcunt, & gummi quoddam reddunt, ſapore ſubacri, non tamen ingrati, maturarum putamen nigricat. Nucleus vero candidus, firmus & dulcis eſt.

Fructum perficit circa Vergiliarum occaſum.

Vſus.

Huius materia & ſi robuſtiſſima ſit, tamen ſponte ſua frangitur ac diſſilit. vnde Bœotos Pericles appellabat Ilices quòd etſi fortes eſſent, nihilominus propter inteſtina odia ſeipſos conficerent.

Tempe-

Temperamentum, & Vires.

In medicina ſi Ilicem quercui ſubſtituas nil aberrabis : at glandes, quas Græci ἀκύλους vocant, non tantum nutriendo corpori conueniunt, quin & per Hiſpanias ſecundis menſis inſeruntur, præſertim apud Salmaticenſes : ſed etiam in medicos vſus veniunt. Hippocrates ἀκυλοὶ καὶ βάλανοι, καὶ φηγοὶ σταλτικαὶ μὲν ὠμαὶ καὶ ὀπταί. Galenus. τὰς δὲ τῶν πρίνων βαλάνους. ἃς ἀκύλους ὀνομάζουσιν ἕλλῦνες, εἰσὶ δὲ στρυφναὶ καὶ σκληραὶ ὥστε διὰ τοῦτο ἀηδεῖς· κἂν ἑφθάς τις προσφέρηται, δυσπέπτοις. καὶ παχυχύμας οὔσας φυλάττεσθαι χρή. Iſtæ enim qualitates non impediunt quominus in bellariis locum habeant, quin & de eſculi glandibus eadem Mneſitheus Athenienſis quamuis locum illis aſſignet in ſecundis menſis τὰ μὲν οὖν, inquit, ἐστὶ λιπαρὰ τῇ φύσει, καθάπερ αἱ ἀμυγδάλαι τε αἱ ξηραὶ, καὶ διὸς βάλανοι, τὰ δὲ ξηρὰ, καὶ στρυφνὰ, καθάπερ αἵ τε φηγοὶ καὶ πᾶν τὸ τοιοῦτον γένος.

ILEX MINOR COCCIFERA.

Græcis arbor ipſa Κόκκος βαφικὴ, at melius πρῖνος κοκκοφόρος. Latine Ilex aquifolia, vel coccifera. Gallis *Iouſe ou Eouſe porte eſcarlate.* Hiſpani vocant *Caraſca fruticem qui glandem:* Coſcoïa vero qui coccum profert.

Forma.

Multi ab eadem radice prodeuntes ſurculi fruticis altitudinem attingunt : craſſitudinem duorum ſæpe numero digitorum. Folia per ambitum crenata ad æquifolij proxime accedentia , ſed minora , rigidis aculeis horrentia , breui adnata pediculo , prona facie minus , quam

Ilicis, incana ruborem aliquando vetuſtate contrahentia. Flores menſe Martio conſpicui, muſcoſi, quercus ſimiles, glans calyci ſpinoſo & echinato inhæret puſilla, ſaporiſque admodum amari, quæ tam ſero perficitur, vt nouellam comitetur annicula, vnde biferam quidam putarunt.

Hanc ſolus commendat coccus, de quo poſthac.

SVBER.

Græce φελλὸς & ἴψος dicitur, latine *Suber*. Gallice *Arbre du liege*. Italis, *Sugaro*. Germanis *Pantoffelkots*. Hiſpanis *Alconorque*.

Species.

Duæ ſpecies hactenus obſeruatæ fuerunt, altera quidem latiore folio, quæ generis nomen retinebit; altera vero anguſtiore, quam ideo στενοφυλλίδα vocamus.

Forma.

Ilicem quam radicis magnitudine prouocat, caudicis craſſitudine, & altitudine aliquantulum ſuperat. Duobus veſtitur corticibus horum externus craſſior eſt. Internus vero ſubtilis admodum; his detractis cortex qui renaſcens ſuccedit colore minij, longè latéque conſpicuum ſe præbet. Rami ſunt quam Ilicis firmiores: folia vero, maiora, longiora, mollia, ſupina facie magis virentia, nonnunquam ſerrata. Glans per maturitatem nigricat, quam Ilicis longior, at apice eſt obtuſiore donata, Calyci adhæret maiori, hiſpido, per oras molliter echinato, qui craſſo breuique pediculo ſuffulcitur. Nucleus aſtrictione reliquas ſuperat, & deſiccatione, ingrati admodum ſaporis.

Calidæ regiones huius ſunt feraces, Hiſpania, Luſitania, Gallia Narbonenſis, & Aquitania, ſed quæ in hac naſcitur, folia quotannis demittit.

ΣΤΕ-

ΣΤΕΝΟΦΥΛΛΙΣ.

Eſt & ſuberis altera ſpecies quæ anguſtioribus frondeſcit foliis vnde nomen minuſque crenatis, cuius glandes adhærent calyci aſpero, & pungenti.

In Italia frequens occurrit, præſertim ad Apennini radices, & in Anconenſis agri nemoroſis collibus.

Vſus & vires.

Suberi cortex eſt in fructu : quare Græcos aiunt quidam δενδρόφλοιον.i. corticis arborem vocare. Illius detrahendi hæc eſt ratio. non ſolum qua parte caudex è terra emergit: ſed etiam ſuperiore paulo infra brachia circunſcinditur ad lignoſam vſque materiem, mox ab imo ad ſummum finditur, duplexque cortex detrahitur tertio poſt anno, nec vllum inde, niſi paucis à detractione diebus largi imbres ingruerint, arbori exitium impendet : Immo iuuatur, alioqui enim perſtricta ſtrangularetur, vel potius alimento in corticem abſumpto marceſceret.

Externus Cortex igni explanatur, & ad vaſorum obturamenta, piſcatorumque tragulas expetitur, eodemque, ſcabritie deraſa, hiberno tempore ſoleæ muniuntur aut altitudinem aſſumunt. Mammis appoſitus lactis generationem impedit. In cinerem adactus, ad ſedandam quacunque ex parte hæmorrhagiam vtilis. Hæmorrhoidibus non tantum ideo confert, ſed & dolores, quos inferunt ſolatur. Ex interno pateræ fiunt, quas miſcendo hecticis poculo vtiliſſimas affirmant.

Denique ſuberis materia eſt firma cariemque & vetuſtatem tardiſſimè ſentit.

SMILAX ARCADVM.

Σμίλαξ multa ſignificat, eſt enim herbarum, & arborum

diuerſarum nomen ; ſiquidem, inter arbores vna ſmilax glandifera, altera ſmilax quæ Latinis taxus. eſt & multiplex σμίλαξ in herbarum genere. hoc loco nobis agendum de glandifera.

Græcis σμίλαξ, Latini græcam appellationem retinuerunt Galli, non ſine errore, *rouure* nominant.

Forma.

Ad Ilicis ſimilitudinem proxime accedit, ſed cortice veſtitur cinereo, in ſummis ramis cano, & lanuginoſo, foliis frondeſcit lauri ſimilibus, aut Ilicis, non ſerratis, aut ſpinoſis, ſupina facie viridibus, prona candicantibus, & lanugine molli pubeſcentibus; flore oleæ quodammodo ſimili; glandem obſeruare non licuit.

Naſcitur frequens in Gallia Narbonenſi.

Alterum ſmilacis genus alunt Rhodano proximi colles, qui à Vienna Allobrogum ad Arelatem vſque porriguntur. Intra fruticis altitudinem conſiſtit, folia profert oleæ ſimilia, nec enim ſinuoſo, ſerrato, ſpinoſove ſunt ambitu. Flores ſuperiori ſimiles. Vtriuſque materia eſt mollis, nec operibus diuturnis apta: aſtringendi facultate eſt dotata.

DE PHELLODRY.

Græci φελλόδρυν, ſuberiquercum Latine potes interpretari: Galli *Cheſne liege*. Hetruſci, *cerroſugaro*. foliis ſiquidem ſuberem refert, cortice, glande, & ligni materia quercum.

Huius ſpecies quinque ſtatui poſſunt. longifolia, pullicortex, molli folia, craſſi folia, & aquifolia.

LONGIFOLIA.

In huius vt & in aliarum radicibus nil dum obſeruare mihi licuit ἀξιόλογον. Caudicem attollit longifolia ad mediocrem altitu-

altitudinem; Ramos ſpargit cinereo cortice tectos, foliis comantes, altera parte albicantibus, anguſtis, longis, crebris admodum, at non profundis inciſuris crenatis; leuiter aſperis potius quam ſpinoſis. Glans vero per maturitatem ex fuſco flaueſcit.

PVLLICORTEX.

Longifoliæ altitudinem æquat. huius caudex ramorum cortex in pullo colore ſordeſcit. folia ſunt latiora, laciniis raris ſinuata, molliter aculeata, prona facie candicantia. glans cortici eſt concolor.

MOLLIFOLIA.

Caudex non procerus, ramis bracchiatur cinereo cortice obductis, vnde folia, mediocris amplitudinis, obſcure virentia, raris nec profundis laciniis ſinuata, leuiter pungentia, glandem hæc profert ex fuſco flaueſcentem.

CRASSIFOLIA.

Folia profert latiſſima, obſcure virentia, craſſa, frequentioribus inciſuris, & valde ſpinoſis ſerrata. cætera ſuperiori ſimilia.

AQVIFOLIA.

Huius folia multum laciniata, & valde muricata quam ſuperioris minora, pallidi coloris, ramos ornant. quorum cortex cinereus glandis calyx eſt echinatus. cætera non differunt à ſuperioribus.

In collibus Rhodano vicinis naſcuntur vt & in Luſitaniæ multis locis, vbi duæ primæ gallas ferunt.

DE IIS, QVÆ PRÆTER GLANDEM, FERVNT QVERCVS.

Multa ferunt Quercus excrementitia, maiori ex parte fructuum ſpeciem præ ſe ferentia; Coccum ſcilicet, morum, Veretrum, Gallas, pilulas, pumicem, panos, racemum, fungum, & viſcum.

DE COCCO.

A Græcis dicitur κόκκος βαφικὴ, σκωλήκιον, Latinis coccus tinctorius, cuſculum, quidam tamen quiſquilium legunt. Galli *vermillon* & *graine d'eſcarlate*; Quidam etiam *cochenille* dictione à cocco deducta.

Ilex minor, ſiue aquifolia omnium arborũ fructus ſolo prouocat cocco. granum hoc tenerrimo in ſcapo fruticis illius parui gignitur ex ſucco excrementitio ab eo antequam tantum adoleuerit, vt glandes ferat, exudante. naſcitur autem in ima ſupinæ faciei parte folij qua pediculo adhæret, nonnunquam in ſurculorum nodis, rotundum, paruum, eruiliæ magnitudine, exteriore ſui parte primo albidum, deinde vbi maturuit è cinereo rubens. Interiori vero purpureo cruore plenum, nulluſque illi ſubeſt petiolus. alioqui aſparagi fructui valde ſimilis.

Colligunt Maio, & Iunio menſe viles operæ, vnde Dioſcorides γυναῖκες ὃ ἐν τῷ θέρει ἀνθλέγουσι. Ad tinctorum vſus ſic paratur, linteo ſuperſtratum ſolis ardoribus exponunt, ſedulo cuſtode adhibito, qui natos inde vermiculos extremis lintei bacillo concuſſis, in inferiorem illius partem toties reſilire cogat, donec emoriantur, quidam ne in vermiculos abeat, ſuccum ipſum irrorant aceto, vinóve albo. alii animalcula cribro à veſiculis ſeparant, deinde ſummis digitis leniter compreſſa in pilas, oui magnitudinem æquantes, efformant. Veſiculis enim

præcel-

præcellit ſuccus purpureus, ex eo animalia nata ſecundum obtinent locum.

Expreſſo illius ſucco vtuntur Medici, quem vt incorruptum ſeruare poſſint ad tempus aliquod, tantillum aceti affundunt, aut vini. malunt alij ſericum crudum imbuere. Ex illo fit celeberrimum medicamentum Arabico nomine alkermes dictum. in cuius compoſitione vtinam viliora nobilib. non ſubſtituerent, lapidémque Lazuli Arabum, & Cyaneum Dioſcoridis omnino diuerſa cognoſcerent.

Vires.

Sed Cocci vires paucis multas explicemus. aſtringentis & amaræ qualitatis eſt, atque ſine morſu deſiccat, vulneribus præſertim neruorum eſt vtiliſſimus. Obſtetrices non abſque ratione ad abortus impediendos vtuntur. in roborando corde non parum poteſt.

MORVM ET VERETRVM.

Mora quercuum dicuntur excrementitium quid è quercu natum: ſicque dicta ſunt à ſimilitudine quam cum moris habent tantam, vt colore modò & arida duritie, ſaporéque acerbo differant.

Veretrum autem dicitur quiddam initio illius figuram affectans: at poſtremo cum induruit tauri caput imitatur, eique ineſt nucleus oleæ ſimilis.

GALLÆ.

Κηκὶς Græcis dicitur. Latinis, & Italis, *Galla*. Gallis *noix de galle*. Arabibus, *Hafs*, & *afus*. Germanis, *Gallopffel*. Belgis, *Galnoten*. Hiſpanis, *Agalla galha*, & *bugalha*. Duorum ſunt generum; altera enim tuberculis aſpera, quæ ὀμφακῖτις à ſaporis acerbitate vo-

catur, altera vero læuis, quæ οἰνοκηκίς. i. vino galla. ſeu mauis vt quidam legunt ὀνοκηκίς. i. aſino galla.

Forma.

Prima eſt rugoſa cute & pungentibus tuberculis aſpera, altera vero læui: Illa fulonibus, & coriariis magis expetitur: rurſus à colore peti poteſt duplex differentia, altera ſiquidem alba, altera autem nigra, quam ideo Græci πιτώδη, & μελαίναν vocant.

Vires.

Potenter aſtringunt, ſed aſpera magis quam læuis vtraque mediocriter refrigerat; ergo carnis excreſcentias cohibet. Fluxiones gingiuarum, & vuulæ, atque oris exulcerationem reprimit. dyſentericis & cœliacis cum vino coctæ bibuntur, aut in fotu adhibentur. Crematæ donec igne flagrent, ſanguinē quacunque ex parte fluentem reprimunt. denique vbi adſtrictione eſt opus, magnopere conueniunt. meditullium dentibus inditum eorum dolores ſedat. Demum hoc leues gallæ habent peculiare, vt annonæ ſterilitatem, aëris ſalubritatem, quotannis præſagiant, nam quod de bello dicunt, id prorſus anile eſt. Cum rumpuntur, priuſquam perforatæ, ſi vermis in illa concretus repere deprehendatur annonæ ſterilitatem; ſi auolet, muſca aëris ſalubritatem. ſi aranea latitet peſtilentiam prænuntiat. Vſus etiam eſt in pannis nigro colore inficiendis & ad atramenti ſcriptorij confectionem. at aſperis, vt dictum eſt, poſthabendæ læues.

PILVLÆ.

E quercubus etiam naſcuntur quædam rotunda, gallis multo

multo minora, quæ à figura pilulæ dicuntur: nec vnius ſunt ſpeciei, ſunt enim aquoſæ, capillatæ, lanatæ, ſeſſiles, aut foliatæ.

Aquoſæ naſcuntur in foliorum tergo candicantes pellucidæ, tanquam folliculi aqua pleni, antequam indurucrint in his culices natos conſpicere poſſis.

Capillatæ dicuntur, quod capillis ſint comoſæ. Illarum vtilitas nondum cognita, etſi melleus ſuccus, quo turgeſcit verno tempore, nos ad illius vires inueſtigandas prouocet.

Lanatæ duro putamine conſtant, floſculos laneos continente lucernis aptos, non quidem ſine oleo, alióve pingui.

Seſſiles naſcuntur ad alarum pronos receſſus corpore non pediculo ipſis adhærentes, intus cauæ, Theophraſto, κιλλόμυχα σφαῖρεια dicuntur, verſicolores, eminentibus vmbilicis cãdicantibus aliquando vario colore diſtinctis, interdum nigris, media cocci colore ſplendent, apertis nigra eſt, & putris inanitas.

Foliaceæ pilulæ dicuntur quod foliis, aut potius ſquammulis foliaceis compactæ ſint ſimilitudinem ſummam habent cum Iaceæ pratenſis capitulis. occurrunt frequentiſſimè in cæduis ſiluis quibuſdam in aliis dum quærerem ſæpiſſimè operam perdidi.

LAPILLI PVMICEI.

Lapides pumicei fuerunt à quibuſdam obſeruati è quercubus geniti, rariſſime tamen. Meam diligentiam & ſolertiam iſta raritas ita eluſit, vt ne ſemel quidem hactenus videre potuerim.

MVSCVS.

Muſcus quercubus, vt reliquis arboribus vetuſtatem adeptis, aut opaco, vel humidiori ſolo natis ſuccreſcit. de huius generibus capite de muſco dicemus.

VVA.

Ex ſuperfluo ſucco circa radicē quercuum annoſarum coaceruato, ſub terra quiddam concreſcit vuæ ſpeciem præ ſe ferens, exterius purpureum, interius candidum, ſaporis ſubauſteri, quod caloribus æſtatis in ligneam euadit duritiem. colligenda eſt tempore verno & in vmbra ſiccanda.

Inter medicamenta ex plantis in ſedanda quacunque ex parte hæmorrhagia nullum habet ſecundum.

De fungo ſuo loco dicetur.

VISCVM.

Græcis ἰξὸς, & ἰξία, ne tamen, vt quidam ex antiquis in rerum natura doctiſſimus, decipiamur, notandum eſt τῆς ἰξίας nomine album chamæleonta Græciam quoque ſignificaſſe, qui & ὁ ἰξίας vocatur. Cæterum quod aliis ἰξὸς, Arcadibus ὕφεαρ. Latinis, *Viſcum*. Gallis, *Guy*. Arabibus, *Debach*, *Dabach*, & *Hele*. Italis, *Viſco*. Hiſpanis, *Liga*, *Mordago*. Germanis, *Miſtel*, *Eichenmiſtel*, & *Vogellem*.

Forma.

Ad Cubitalem altitudinem fruticat ramos latè diffundens frequentes, geniculatos, læui cortice veſtitos, aut virides, aut è viridi aureos, teretes, ſolidos, fragiles, horni tamen paulo compreſſiores, & lenti ſunt, materiemque habēt vtrique non fibroſam, ſed tanquam ex re fuſili conflatam. in horum extremo folia bina ex aduerſo poſita, erythrææ, quam centaurium minus vocant ſimilia, ſed maiora, denſiora, tribus aut quatuor neruis ſupina facie eminentibus inſignita, nullo adnata pediculo, hieme durantia, ſed vbi alia in nouellis ramulis excreuerint decidua, quod an fiat in viſco perpetui foliis adnato obſeruandum aliis relinquere cogor.

Flores

Flores ſunt parui, ſublutei, ſuccedunt his baccæ tres aut quatuor cohærentes, candidæ, piſi magnitudine, candidæ, tranſparentes, ſuccum lentum ac tenacem continentes, cuius medio ineſt corpuſculum durum ſeminis ſpeciem referens.

Locus.

Cum ſedem non habeat, in aliena viuit, nec enim in terra gignitur, arboribus innaſcitur, ex illarum excrementitio ſucco progenitum, non ex ſemine, quod à turdis, auibuſque aliis comeſtum, deinde poſt maturationem in ipſarum ventre, deiectum ramis arborum hæſerit: compertum enim eſt aues illas ſemen Viſci deuoratum ita conficere, vt nil integri ab illis excernatur, vnde hæc planta oriri poſſit. præterea ſæpe naſcitur in ea parte arboris ad quam auium excrementa pertingere nullomodo poſſunt. quamuis aliter ſenſerit antiquitas, vnde illud, Turdus ſibi malum cacat.

Temperamentum, & Vires.

Diuerſis partibus conſtat Viſci ſubſtantia, aquea videlicet & aëria, illa primo appulſu huius efficaciam impedit quare aliquanto ſpatio temporis eget; vt vires ſuas ab aëre acceptas exerat, quod vbi aſſequuta eſt, temperamentum obtinet calidum, & ſiccum in tertio gradu, cum nonnulla partium tenuitate. Nil itaque mirum ſi emollit, diſcutit potenter, & ex alto trahit, vetera vlcera, abſceſſus quos malignos vocant, ſanat, neruorum contracturis ab affluxu humoris craſſi medetur. præterea craſſos viſcidoſque humores purgat, tenues ſudorifica vi per cutis poros educit. quare vertiginoſis, epilepticis confert, in eumque vſum pilulis potionibuſque catharticis admiſceturnō tantum lignum ſed etiam folia. ſolius ligni vſus ad ſudores prouocandos pręſtantiſſimũ in quercu natum, proximus honos illi quod

leucacanthæ parasitatur, ad contracturas neruorum præfertur adnatum pyro, ad vlcera maligna in pomo sedem habens. Quoduis lætum bobus pabulum.

Viscum. siue gluten ex Visco.

Glutinum ex visco factum non alio nomine quàm quo frutex fuit designatum Galli, *Glu* appellant. hanc Plinius illius conficiendi rationem docet ex acinis, *qui messis tempore,* inquit, *colliguntur immaturi nam si accessere imbres amplitudine quidem augentur, visco marcescunt, siccantur deinde & aridi tunduntur, ac conditi in aqua putrescunt duodenis ferè diebus: vnum hoc rerum putrescendo inuenit gratiam: Inde in profluente rursus malleo tusi amissis corticibus interiore carne lentescunt. hoc est viscum pennis auium tactu ligandis* (aptissimum) *iuglandis oleo subactum, cum libeat insidias molliri.* Hactenus Plin. Alios glutini vsus non comperi, neque enim assumere ausus fui. fit & viscum ex aliis & herbis & arborib. sed suo quæque loco.

ABIES.

Græcis ἐλάβη. Latinis, *Abies*. Gallis, *Sap.* vel *sapin* vocatur. Italis, *Abete*. Hispanis, *Aueto*. Germanis. *Thannẽ* & *Thannembaum.*

Forma.

Hæc arbor speciosa, firmissimis radicibus innixa caulem erigit procerum, enodem inferiore sui parte, crassum, at in tenuius sensim progredientem. Cortex externus est cinereus, internus vero subalbidus, suamque resinam refert odore, & sapore. Rami decussatim dispositi velut alæ expanduntur, huncque ordinem seruant, vt inferiores superioribus sint paulò longiores, horum tenerrimis adnascuntur folia hyeme non decidua, in modum

modum pectinis digesta, angustissima, vix digiti longitudinem attingentia, prona facie subalbida, virenti neruo dirempta: supina autem viridia, medio exarata sulco, nullo subuecta pediculo, quæ etsi ab omnibus ramulorum partibus nascantur, nulla tamen deorsum spectant, sed obliquè sursum erigũtur, quæque à prona ramorum facie oriuntur longiora sunt aliis, quod si iunior sit arbor, maiori ex parte bifidum mucronem habent, aliàs vnico apice duro armantur, denique tam densè stipata sunt, vt imbrem non transmittant. In adultis ramis è singulorum foliorum alis, prona parte exigua quædam nucamenta interdum nascuntur in sequentem annum duratura, è quibus singulares breuesque iuli exoriuntur in flosculos sese explicantes, conos tandem extrema ramorum sustinẽt, non vt in Picea rectâ deorsum, sed obliquè, aut rectâ sursum spectantes, oblongos, cuspide tamen obtusa, latis mollibusque squammis compactos, inter quos prominent parua, membraneaque folia. In hac arbore viscus nascitur quem stelim vocari Plinius auctor est.

Post vergiliarum occasum profert fructum.

Montes & valles diligit, quibus frigidum est solum. Satis omnibus infesta: non quòd succum terræ exhauriant illius radices, sed quòd stilla sæua sit arboris, quæ frondis proiectu ita diffunditur, vt per ipsam non diffluant imbres.

Illud porro non omittendum, cacuminibus ramorum decisis arborem mori, detruncatis durare, & si infra, quam rami fuere, præcidatur, quod superest viuere. si verò cacumen tantum auferatur, totam mori.

Abietis caudex in duas partes diuiditur, in inferiorem enodem, quæ cum circunscinditur quadrifluuiis disparari potest, & eiecto torulo ad intestina opera comparari diciturq; Sapinus, atque in superiorem durissimis nodis rebellem, quæ fusterna vocatur.

Album habet quod Græci λούσον vocant. Iuræ montis lignatores *ouchon*, & *louchon*. ægidos quæ in Picea eſt, ſpeciem præ ſe ferre videtur.

Vſus.

Ligni materies leuis eſt admodum, ideo nauium malis & antennis præfertur. ad tectum firmiſſima eadem valuarum repagulis, & ad quæcunque opera libeat aptiſſima, quouis fere fabricæ artis genere ſpectabilis. pampinatoque ſe voluit orbe ad incitatos runcinarum raptus. Curribus etiam apta & maxime ſociabilis glutino, in tantum, vt findatur antè, quà ſolida eſt: quid? & pondus ſuſtinere valida, etiam in tranſuerſum poſita.

Ex cortice vaſa, corbéſque, ac patentiora quædam conuehendis meſſibus vindemiiſque fiunt, atque tuguriorum prætexta.

In nouellis abietis, è glabro cortice attolluntur quædam tubercula, quæ paſtores bubuli cornu mucrone ita perfodiunt, vt inde liquida reſina extillet, parua tamẽ copia: nam vix vno die quanuis in eo totam defigant operam, quaternas ſinguli vncias colligere poſſunt, quare multo rarior eſt reliquis, ſoletq; adulterari Larigna per colum toties tranſmiſſa, donec abiegnæ limpiditatem mentiatur: fraus hac ratione detegitur, quod abiegna ſit ſubſtantia tenuior, ſapore amariori, odore præſtantiſſimo, & in annum ſeruata quodammodo flaueſcat.

Reſinæ Temperamentum, & Vires.

Græcis, ῥητίνη ἐλάτης. Latinis *reſina Abiegna*. Gallis, *Terebenthine*. Italis *Olio d'abete*, quod quidem intelligi debet de liquida, non arida. Illa eſt calida, ſiccáque ordinis tertii initio detergendique vim obtinet: & veræ terebinthinæ vires pene æquare videtur.

Vulne-

Vulneribus recentibus, vlceribusque confert, ipsa enim repurgat & consolidat. Semunciæ pondere biliosos humores per aluum educit, renes, vrinariosq. meatus expurgat, vrinas copiosiores non solum eijcit, sed ipsis etiam Violæ Martiæ odorem conciliat, calculos expellit, arthriticos dolores demulcere dicitur admota. Cortex, & resina sicca astringendi facultate pollent, detergendique non omnino destituuntur.

Ex liquida quadruplex elicitur substantia, aquosa, cuius vires parui momenti, sal volatilis liquatus in quo vis diuretica elucescit magna, oleum duplex, vnū aquei coloris, quod spiritū vocant, in quo etiam facultas diuretica, & detersoria præcipuæ: Alterum aurei coloris, quod vim diureticam & detersoriam, nō magnam quidem habet, sed in placandis doloribus arthriticis, & neruorum punctūris non spernendam. Quarta est reliquis spissior colore ad phæum tendente, non vt aliæ inflammatilis: quam nec abs re vocant Chymici balsamum. huic enim ad vulnerum curationem, vlceribus obducendam cicatricem expetitas insidere facultates compertum habemus.

CEDRVS.

Cedri genera duo agnouit antiquitas vnum Phœniciȩ, quam & maiorem dixerunt; alterum Lyciæ.

PHOENICIA.

Græcis κέδρος φοινικὴ, κεδρελάτη, & δενδρολίβανος. Latinis, *Cedrus Phœnicia, Cedrus maior*. Phœnicia quidem à Phœnice Syriæ parte. Gallis, *Cedre*. Ital. & Hisp. *Cedro*. Arab. *Serbin*.

Huius duas differentias statuit Plinius, quæ floret inquit, fructum non fert; fructifera non floret, & in ea antecedentem fructum nouus occupat. Illa tamen oscitanter nimis.

Radicibus multis, longis, crassisque inniti par fuit, cum non alte descendant: Caudex enim reliquas arbores supereminet, tantaque est crassitudine, vt imam illius partem vix hominum quatuor vlnæ complecti possint, & ne quid ad commendationem desit omnes alias rectitudine prouocat, cortex qui à terra ad primos vsque ramos porrigitur magna deformis est scabritie & rimosus, inde vero, vt & in iuniori arbore ab imo ad summum vsque, læuis, tenuis, & cum superficie tenus scalpitur virens, cum vero profundius, rubescens obseruatur. Rami ab ima fere parte ad fastigium tam frequentes sunt, vt si primos conscenderis, ad verticem non minus facile quam scala possis euadere; præterea subrecta diuisura in cœlum tendunt, & veluti brachia, transuersim caudicis lateribus inhærent, ita tamen dispositi, vt illius conspiciendi copiam faciant, eamque inter se proportionem seruant, vt quo altiores eo breuiores sint, his tantam tribuit natura rigiditatem, vt si quis in angustius flectere voluerit, valido crepitu fragiles dissiliant. minores denique pectinatim filicis modo in maioribus digeruntur, folia sunt laricis similia, non decidua, breuia, angusta, summo mucrone rigidiusculo, non tamen aculeato, illa ex singulis surculorum tuberculis quadragena aut quinquagena prorumpunt. Itaque illorum verticem coronant, vt pictorum penicillum referant; odorata sunt, subacida, & cum amaroris tantillo astringentia. Conos profert cælum spectantes, pineis graciliores, abiegnis maiores, crassiones, duriores, quinûm digitorum longitudinem prætergredientes, subfuluos, obtuso mucrone, compactili squammarum strue coagmentatos, breui, crasso, & vtrinque tam pertinaciter affixo inhærent pediculo, vt non nisi abstracto rami frustulo auellantur: itaque diu arborem ornarent, nisi paulo ante biennium, dum hiscunt, pluuia, & rore madescentes finderentur, relictoque pediculo firmo, qui

qui per medium conum traducitur, circumſtantes ſquammæ defluerent.

Naſcitur in Syriæ quibuſdam montibus, pulcherrimas Libanus alit: ſed niuoſa præcipitia, & conualles amat.

Materies Cedri eſt æternitatis, neque enim cariem ſentit, aut vetuſtatem, at clauum non tenere aiunt, ſi credere dignum.

Triplex reſina fluit ex hac arbore, prima liquida exudans, vt abietis, ex tuberculis in caudicis tenello, necdum ſcabro frequentibus, cornu adacto pertuſis. Altera dureſcit, & ſponte ſua ex arboris ſudore concreſcit: manſa dentibus pertinaciter hæret, odoris validi, & fragã redolentis, tertia fit ex ramis, aut aſſulis in furno accenſis, inde ſiquidem ſuccus inſtar aquæ fluit in receptaculum.

Vocari poſſunt tres hæ ſpecies Cedria, & Cedrium, reſina, & lachrima Cedri, tertia ſpecies pix Cedri proprie vocanda videtur.

Reſinis tribus illis eadem vis ineſt, calidæ ſunt ſiquidem, & ſiccæ in tertij gradus fine: Medicum ad vſum expetitas nunquam fuiſſe, mirum: & antiquos auctores parum nouiſſe tolerandum: at cum ea quæ ex oxycedro fit pleroſque illorum confudiſſe, ſtupendum.

Lycia Cedrus alium locum poſtulat.


Καλεβοζυχις

ΚΑΛΟΒΟΤΡΥΧΙΣ.

Quam Καλοβοτρυχίδα vocamus, quod flores racemi ſpeciem præ ſe ferant, quidam ὄστρυν, ſiue ὀστρύαν Theophraſti eſſe hallucinantur: nam libro tertio hiſt. plantarum cap. decimo ait. huius foliorum ἶνας πάχος ἔχειν. i. fibras craſſitudinem habere: mox ἐρρυτιδωμένα (φύλλα) κατὰ τὰς ἶνας. i. ſecundum fibras rugata folia: καὶ χαραγμοὺς ἔχοντα κύκλῳ λεπτούς. i. inciſuras habentia in ambitu leues, ſiue tenues, quæ omnes notæ in hac planta deſiderantur. Ben vero Arabum, ſiue μυρεψικὴν βάλανον Græcorum eſſe, vt aliqui ſibi finxere tam alienum eſt à veritate, & ratione vt confutatione minime ſit opus. *Lilac* vocant Barbari, nomenque idem apud omnes hodie retinetur, aliqui ſyringam cæruleam nominant, ſed qua ratione? Gallice *bellegrappe* dici poteſt.

Forma.

Radix in multas fibras diſtributa complures ſtipites profert ex interuallis geniculatos, cortice ex albido & ruffo miſtis contectos, quorum materia eſt dura, nonnihilque medullæ continet, è geniculis quadrimorum aut iuniorum vtrinque ramulus vireſcenti cortice veſtitus quotannis oritur, non omnino teres, ſed ad quadratam figuram præcipuè in extremo accedens, in quo folia octodecim, interdum pauciora, nigræ populi nonnihil ſimilia, ſed anguſtiora, longiora, nec in ambitu inciſuras habentia, tenuiora, mollioraque, ſature ſupina in facie viridia, prona vero pallidiora, ex quibus altiori ſede collocata maiora conſpiciuntur, præterea bina ex aduerſo poſita ſunt, nam ordinem claudens aut rarum aut nullum animaduertes ex anniculorum ſingulis, aut bimorum geniculis ramulorum, vna tantum ex parte oriuntur flores racemi formam imitantes, ſurſum aut ad latus ſpectantes, palmaris longitudinis, & multis

tanquam ſpicis compoſiti densè ſtipatis, ſuam originem binis ex aduerſo ducentibus, quarum omnium fere baſi ſubeſt foliolum lychnidis ſylueſtris, quod papauer ſpumeum vocant, ſimile. floſculi ſunt coloris dilutè cærulei, infundibuli formam imitãtes, ſed pars ſuperior, quæ latior eſt, diuiditur in quatuor foliola, introrſum nonnihil replicata ſtamina duo tubuli interiori tunicæ adnaſcuntur, ita vt neruuli potius quam ſtamina videri poſſint, ſed capitulis produntur luteis, & à tunica ſeparatis. ſtilus magis latitat, & præ exilitate ante florem excuſſum vix animaduertitur. Inſident floſculi calyculo breui, & anguſtiſſimo qui oras habet è purpura ruffas & quatuor denticulis admodum exiguis floſculum continet, flores denique elegantiſſimo colore, amœniſſimaque ſtructura oculis arrident, nares ſuaui odore delectant, cerebrum tamen aliquantulum grauare videntur. Excuſſis floſculis ſuccedunt ſiliquæ oblongæ, coloris, cum maturuere, punicei, quæ membrana media interſepiuntur; ſemina continentur quaterna, interdum pauciora anguſta coloriſque ruffi.

Floret ſub Aprilis finem, aut ineunte Maio.

Apud nos hortenſis, fertur in Africa ſponte naſci.

Non ſolum radicibus ſed etiam depactis ſurculis propagatur.

De illius viribus nihil dum habetur comperti.

SPAR-


Μακρολόβιον
Spartium
Υποσφαιρολόβιον

SPARTIVM.

Quod Dioſcorides Σπάρτιον vocauit eum ſequuti Græci τὸν σπάρτον & ὁ σπάρτον nominarunt. Dubitauit Plinius eſſet ne Geniſta Latinorum, ſed hoc dubium quis diſſoluet? Illius ſiquidem apud antiquos nullæ extant notæ; Deſcripſit quidem hic ſpartij vires, non Geniſtæ, quare malim ſpartium vocare Græcos imitatus (ſed cauendum ne cum Sparto herba Plinij confundamus) Geniſtæ vero nomen alteri plantæ tribuere: hoc me monuit Virgilius qui *Geniſtas humiles* vocat, quod huic conuenire nequit. quidam Geniſtam Hiſpanicam, Italicam alij vocarunt, vt & Galli qui *Geneſt d'Eſpagne* nominant, propter quandam cum Geniſta ſimilitudinem.

Species.

Duæ ſpecies obſeruantur, prima μακρολόβιον, ſecunda ὑποσφαιρολόβιον nominabuntur.

ΜΑΚΡΟΛΟΒΙΟΝ.

Sic vocatur quod λοβὸν. i. ſiliquam μακρὸν. i. longam proferat.

Forma.

Radices longas habet, quarum cortex eſt è ruffo pallidus, materia non dura, & pallida, virgultaque producit Geniſtæ ſimilia, vnde quamplurimi ramuli ſurgunt triticeo culmo craſſiores, flexiles & viminei longi, iuncei, teretes, medulla candida pleni, in quibus folia ſunt lini fere ſimilia, viridia lanugine vtraque ex parte veſtita, parua, ipſiſque ita incumbente, vt vix deprehendi poſſit, ea ſingula, raro bina ſitu oppoſito naſcuntur, & marceſcente flore decidunt, in ſummis ramulis ſunt flo-

res lutei, ſpicatim digeſti, odorati, quam Geniſtæ maiores, foliolis quatuor conſtantes, ſuperiori quidem maximo, & oblongiori rotundo in ſui medio plicæ caracterem ſeruante; lateralibus vero duobus alarum modo ſubiacentibus & interiora verſus in cochlearis formam incuruis, quæ paucis ad baſin venulis ſaturatioribus inſigniuntur: Inferiori denique carinato, cuius baſis eſt neruus albus tandem in exertum mucronem deſinens, mediocriter longum, & mollem: ex illo foliolo ſurſum verſus reflexa ſurgunt ſtamina, ex quibus inferiora ſunt reliquis longiora, cæterum ſuam originem ducunt à membrana quæ vmbilicum vaginæ inſtar continet; ſtylus ſuperiorem ſua reflexione affectat ſedem. ſuccedunt ſiliquæ phaſiolorum ſiliquis ſimiles non quidem magnitudine. ſed forma, ſunt enim multo minores, in quib. ſemen rubrum lenti ſimile, niſi minus eſſet, nullius ſaporis, aut ſaltem exigui, nec ingrati.

ΥΠΟΣΦΑΙΡΟΛΟΒΙΟΝ.

Hoc nomen ipſi tribui poſſe iudicaui quod λοβοὺς. i. ſiliquas inſtar σφαίρας rotundas fere producat, ſiue ὑποσφαιρείδας. i. ſubrotundas. Non eſt ſpartum Dioſcoridis, vt quidam hallucinantur, nec enim σπερματία φακοειδῆ. i. ſemina lentis ſimilia profert, vt mox dicetur, decepti fortaſſe mẽdo, quod manifeſtiſſimum eſt φέρει ὃ λοβοὺς ὥσπερ φασιόλους, pro ὥσπερ φασιόλος. i. fert ſiliquas phaſioli ſimiles, hæc autem ſimilitudo ſuperiori capite explicata fuit.

Forma.

Quam ſuperioris paulo durior eſt radix ſtipes craſſitudinem pollicarem ſuperat ſcabro tectus cortice, qui iunceas quotãnis virgulas profert in quibus folia ſunt quædam exilia, quæ cum flos oritur decidũt, nullaque ſui veſtigia relinquunt, ex virgarũ lateribus proferuntur longi tanquã ramuli in quibus flores gly-

cyrrhizæ ſimiles, at lutei & inodori. quibus excuſſis ſuccedunt ſiliquæ ſubrotũdæ, paruæ, ex flauo ruffeſcentes, in quibus vnicũ aut alterum ſemen continetur, renis figuram quodãmodo referens, durum, & nigrũ, exile quod in concuſſis lobis ſonitũ edit,

Alterũ obſeruauit in ſtirpibus indagandis ſagaciſſimus Cluſius, ſed cum ſolũmodo magnitudine, & colore differãt ſcilicet hoc ſit altius, ſiliquas ferat minores, vt & ſemẽ: flores vero cãdidi coloris, quæ aliã ſpeciem ſola cõſtituere nequeunt, donec nobis aliæ innoteſcant differentiæ, diuerſas ſpecie non iudicabimus.

Temperamentum, & Vires.

Radicum cortex & flores calidi ſunt in primi gradus fine, ſicci vero in ſecundo, vt & ſemen, vomitumque cient vt Elleborus, verumtamen ſine vllo periculo, quare ad febres intermittentes præſtantiſſimum eſt remedium præcipue ad tertianas nothas, ſed ſex horis ante paroxyſmum exhibendum: ad peſtẽ præterea non ſolum vitandam ſed & curandam mirum quantum poſſit: ad Cacochymiam, hydropem nullus ſine magno commodo vtetur: ad arthryticos dolores præcauendos, ſemel in menſe debet ſumi, niſi enim omni ex parte deleat, ſaltem mitiores multo reddet. Sed ne decipiaris cauendum; in hac enim planta duæ ſunt partes catharticæ, altera per vomitũ, altera per vrinas purgat. per vomitũ prima corticis floris & ſeminis nõdum quadrimi decoctio, .i. ſuperficiaria ſubſtantia decoctione elicita, in ſemine finis decoctionis eſſe debet cum ruborem in pallorẽ mutauit; corticem leuiter ebullire oportet: florum vero ſolus vmbilicus & calyculus hanc vim habẽt. Separata vomitoria facultate ſupereſt diuretica, vt & in foliolis florum, quæ nõ eſt parua. ſolo vſus ſum macrolobio, doſis eſt à drachma vna cũ ſemiſſe, ad duas, ſi pulueratum capias corticem, aut ſemen: ſi decoctum à tribus drachmis ad quatuor. potiores obtinet partes ſemen.

BAEN-


Βλεννοχρίς

ΒΛΕΝΝΟΧΟΙΣ.

Antiquis incognita Græce vocari poteſt βλεννοχοὶς, quod ſcilicet pituitam è cerebro fundat, & eijciat. Indis quibuſdam, vt teſtatur Manardes, *Picielt*. aliis vero, vt fere omnibus nationibus *Petun*, & *Tabac*, ſiue *Tabaco*. tamen nonnulli *Tabaco* non *Petun*, ſed tubulum, quo illius fumus excipitur, appellari volunt, & hac in re Hiſpanos deceptos, qui inſulam, in qua frequentiſſima naſcitur hæc planta, vocant Tabaco. Gallis, *Nicotiane*, à Nicotio Regio in Luſitania oratore, qui inde ſemen allatum Galliæ Reginæ Catharinæ de Medicis obtulit, vnde *L'herbe à la Royne*, fuit etiam nominata.

Species.

Tres huius ſpecies obſeruaui. Prima generis nomen retinet. Secunda μικροτή. Tertia παχυφύλλη.

ΒΛΕΝΝΟΧΟΙΣ.

Prima, quod omnium præſtantiſſima ſit, generis nomen ſibi vindicat.

Forma.

Pro herbæ magnitudine radix eſt parua, multis annis viuax, ſi à frigore defendatur, non quod ipſa regerminet, ſed caulem quem prima æſtate protulit conſeruet, aut integrum, aut non omni ex parte marceſcentem, alioqui repullulaturam ſperare non debes. Caulis ad hominis altitudinem aſſurgit, nonnunquam altior, teres, aliquantum flexuoſus, medulla candida plenus, denſa foliorum, & ramulorũ luxuria ſtipatus. Folia ſeſquipedis longitudinem, dodrantis latitudinem attingunt. quo tamen annoſior eſt plãta, eo anguſtiora profert, ſic autem oriuntur vt

tur vt

tur vt latera infra coſtam affixam cauli deſcendant, ſiquidem carent pediculo, illa vero parte latiuſcula ſunt, at cum aliquantulum à caule receſſerunt, nonnihil anguſtiora fiunt, mox vbi latitudinis ſuæ periodum conſequuta ſunt, ouatam figuram affectant, poſtea in acutum mucronem, vt plurimum altera ex parte reflexum, ſenſim deſinunt. Colore ſunt è pallido viridi, per ipſorum medium ducitur coſta, pallidior, & craſſa, vnde nerui, qui alter in alterũ incuruantur, quod etiam faciunt fibræ ab illis ortæ. faſtigium & caulis, & ramulorum in florum petiolos diuiditur, ſemidigitum longos, qui caliculum ſuſtinent amplum, nonnihil gibboſum, inferiori parte latiorem, ſuperiori quinque denticulis crenatum, vnde flos in latus aut oblique ſurſum ſpectans, cuius ima pars tubuli ſpeciem habet, colorem è pallido vireſcentem, & longitudinem pollicis: At media latior eſt, calathique formam refert, non quidem teretis, ſed anguloſi, & in purpureum colorem tendit: tandemque in limbum expanditur dilutè purpuraſcentem, & quinquangularem. Quinque ſtamina continet pallida, inferiori parte lanugine pubeſcentia, ſuperiori glabra, apice cinereo capitata: ex his vnum reliquis multo breuius, alia paris ferè ſunt magnitudinis ex ipſorum medio, exeritur ſtilus viridis craſſiuſculumque habens caput. Tota planta tenui lanugine veſtitur, pinguique ſucco ad digitos lenteſcit.

Ex indicis regionibus allata, noſtrum non dedignatur ſolum, dummodo illud ſit lætum. Floret Iulio donec gelu ſenſerit, in calidis regionibus nulla anni tempeſtate floribus deſtitutum videbis.

In vſum folia ſic parantur, mediocriter ſiccata imbibuntur aliorum ſucco, qui ſeu expreſſione ſeu infuſione in vino præſtantiſſimo educitur, & in funiculos contorquentur, aut in globos, conuoluuntur, poſtremo recondita loco humido, itaque

conclusa, ne aliquid exhalet, seruantur, vires enim alioqui breui euanescunt. Probantur denique non solum acri sapore, & odore quodammodo fragranti, sed fumi in eliciendis phlegmatis efficacia.

ΜΙΣΧΩΤΗ.

Sic appellatur quod folia subuehantur pediculo, quem Græci μίσχον vocant.

Forma.

In hoc differt à superiore quod folia pediculo adnascantur; paulo angustiora, quodque flores saturatiori colore sint ditati.

ΠΑΧΥΦΥΛΛΗ.

Quod crassioribus sit foliis hæc παχυφύλλη vocatur. quidam inter Hyoscyami species recensuerunt, sed qua ratione, non video: nihil enim cum illo affinitatis habet.

Forma.

Radices sunt innumeris fibris capillatæ, caules sesquipedales, striati, virides, ramosi, vnde folia Solani, quod *Bellam donam* vocant, similia, latiora tamen, & paulo viridiora, spissa, lanuginosa, succulenta : caulium , & ramulorum fastigia flores ornant, calathi teretis ad basim paulo angustioris speciem, præ se ferentes: antequam aperiantur, superiori parte crumenæ instar, plicatim clausi; vbi expansi fuerunt, pro plicis limbum habent paruum, orbicularem, & in viridi colore pallescunt. Stamina continent quinque, Blennochoïdi similia sed minora, stilumque non dissimilem sed vix sese exerentem. Calyculus subest mollis, foliaceus, cuius fastigium in quinque partes diuiditur, basimque habet rotundam ferè. Floribus succedunt pericarpia rotundis

rotundis oblongiora paulò, in ſummo foſſulam habentia oblongam, in cuius medio eſt apiculus craſſus, ſed breuis admodum, & rufi coloris; ab vtroque foſſulæ extremo ſulcus ducitur vſque ad baſim, quæ croceo circulo eſt conſpicua. ſemen continetur exiguum Blennochoïdi ſimile, ſed ſubflauum.

Eodem floret tempore, eodem gaudet ſolo, quo Blennochoïs.

Temperamentum, & Vires.

Vireſcentia folia temperamento ſunt calido, & ſicco in ſecundo gradu, continent tamen humiditatem volatilem eamq; refrigerantem. leuiter contuſa vulneribus vlceribuſque admota cito ad cicatricem perducunt, arthriticos dolores ex cauſa calida, ratione aqueæ ſubſtantiæ, de qua poſthac, ſedant, lumbricos expellunt, ſuffocationibus ab vtero medentur vmbilico admota, ſi capiti pediculis infeſtato apponantur, illico vniuerſos interimunt, Ventriculi dolores à flatu, aut cruditatibus ortos ſolantur, ſi calefacta vtrique, anteriori, & poſteriori, regioni admoueantur frequenter, perniones ſanant, veneris ſtimulos retundit ſuccus idem præſtat. Virum ego vidi ingenti capitis dolore vexatum, fruſtra multis vſum medicamentis, cui cum huius plantæ ſuccum naribus excipiendum præbuiſſem, innumeris vermiculis mucco permiſtis delabentibus, dolor omni ex parte ſedatus eſt. Sicca vero folia temperamento ſunt in fine tertij gradus calido & ſicco, ſummaſque vires habent in tergendis vlceribus, quæ fungoſa carne ſordeſcunt, alias enim viuam ſummo cum dolore exurerent. Oleum cui incoquuntur cum vino vtiliter arthriticis doloribus ab humore frigido excitatis admouetur, & tumoribus œdematoſis.

Vino drachmæ duæ horarum decem ſpatio infuſæ vim ipſi conciliant per ſuperiora & inferiora purgandi, vel in peſte con-

ferentem,in qua cathartica vulgaria exitio ſunt certiſſimo, fumus in quibuſdam hoc ipſum præſtat. Remedium eſt & in aſthmate præſtantiſſimum, ſi ex illorum decocto paretur ſyrupus, qui linctus modo vſurpetur. Nullum præterea ſecundum habet ad craſſa viſcidaque phlegmata è cerebro & pulmonibus expurganda. In hunc vſum foliis ſicciſſimis,& in puluerē comminutis ignis admouetur,fumuſque ore excipitur; fit hoc facile tubulo fictili, aut ligneo ne ignem concipiat argilla munito, cuius extremo altero in vaſculi formam conformato imponitur puluis, igniſque admouetur, vt ex altero in acutius deſinente ſuctu fumus in os eliciatur, qui ibi retinendus, tantiſper dum exitum affectet,tum per nares aut os reiiciendus.

Fiunt ex iiſdem foliis noduli, qui per horæ ſpatium dentibus leuiter attriti, immenſam profundunt pituitam; ſed ſi quis illis vti voluerit, in lecto ipſum decumbere oportet, & ieiunū eſſe, aut nil alimēti à quatuor horis ſumpſiſſe: caput inclinare deorſum, vt fluentia phlegmata facilius delabantur & expuantur; nihilque deglutire ſaliuæ, ſi vomitum, quamuis profuturum, metuat; hora exacta, ſi ſomnus, ſi ſudor, ſi vterque ingruat, alacri animo excipere. Quare ſatis laudari non poteſt in doloribus & morbis à pituita è cerebro delabenti inuectis.

Vidi ego quibus dentiū crudeliſſimus dolor,hoc medicamēto fuerit omni ex parte ſedatus vix horæ tempore. Vidi hemicraniam, alioſque capitis dolores, ab eadem cauſa ſemihoræ ſpatio curatos. Noui qui doloribus arthriticis vexati,continuo & fumi & nodulorum vſu non parum ſolatij fuerint adepti.

Rhœadas hoc medicamento exhauſtas nil miri.

Ferunt ſacerdotes indorum conſultos de rei alicuius euētu. Blennochoïdis folia vrere ſolitos, fumumque excipere donec mens emota eſſet, exin quaſi in ecſtaſin rapti caderent: diſcuſſa tandem temulentia, cum Dæmone ſe contuliſſe mentiri, eorumque

rumque

rumque ab imperita multitudine haberi pro diuinis responsa: mentem enim ad tempus excutit. Hic ergo habendus est modus: Cum mentem iam leuiter agitari sentimus, desinendum, tantillumque vini bibendum. Cauendum prætereа ne mulieri suffocationibus ab vtero obnoxiæ nodulos mandendos exhibeamus; summam enim habent vim ad se pelliciendæ matricis folia: inde fortasse Theuetus pro more cornicatur Americanas mulieres omnino ab huius plãtæ vsu abstinere: Nam & ab ipsis edocti quidam fumum ad superiora, prorumpẽtem matricem in sede coërcere monuerunt. Nos sæpissime cum maximo illarum commodo, quibus iamiam imminere videbatur interitus ab vteri suffocatione, testamur experti. Quot vidi mulieres capitis, dẽtium dolore, catharrho siue in pulmones, siue in alias partes delabenti penè exanimatas, illico pristinæ sanitati huius herbæ vsu restitutas? miror Doctum quendam virum senibus timuisse ab huius herbæ vsu, cum nullis experientia doceat vtiliorem. Sed hæc non mirãda præ facultate sudorifica, quæ tanta est in hac planta, vt si folia sicca nodulo inclusa dẽtibus paulatim, leniterque attrita retineãtur in ore aliquo temporis spatio, totum corpus abundanti sudore profundant.

Indos perhibent longum iter per deserta facturos in quibus nec cibus, nec potus haberi potest, hac ratione sitim, famemq; solari: Cochlearum quarundam testas in calcem exustas, huiusque folia pari pondere mansas, (mortarij pistillique defectu) in pilulas conformant piso maiores, quas in vmbra siccatas reponunt, & cum sitis aut fames vrget, vnam inter labrum inferius & dentes continent, liquoremque inde manantem continuo sugunt, qua absumpta alteram ingerunt, quatriduanamque peregrinationem sine cibo & potu alacri animo perficiunt, hoc ipsum asserunt quidam de fumo.

Aquea substantia foliorum, vt ars Chymica postulat, distil-

lata, ad oculorum maculas, & hypochymatôn rudimenta non parum poteſt, ad peſtem aliqui commendant, inflammationes tollit, arthriticos dolores ex cauſa calida ſedat.

Extrahitur & ſal ex hac plãta ciendis ſudoribus aptiſſimum, & carcinomati venereo curando vtiliſſimum, dentibus dealbandis, & gingiuis à putredine conſeruandis accommodatum, in reliquis proximè ad ſalispetræ naturam accedens, qui ſalis extrahendi rationem ignorat, vtatur cineribus, minori tamen profectu.

ΦΛΟΞ.

Φλὸξ à Græcis vocatur propter rutilum colorem. Flammea latine poteſt dici, auctore Plinio. at facilioris doctrinæ cauſa Φλὸξ generis nomen conſtituetur, inque duas ſpecies diuidetur, in ἄοσμον, καὶ εὔοσμον. i. inodorum, & ſuauis odoris. Generica nota eſt calyculus longus cui ſubeſt hypocalycium, folia in caulibus bina, & longa, duoque vmbilico ſtili affixi.

ΑΟΣΜΟΥ *Species*.

Φλογὸς ἀόσμου quatuor ſunt ſpecies, ἀμμογένεια, ὄρξα, θυροὶς, & σπάλη.

ΑΜΜΟΓΕΝΕΙΑ.

Hanc ſolam fuiſſe antiquis cognitam ſub nomine φλογὸς arguit rutilus ille color, quo flos ſuperbit. notæ præterea, quas Theophraſtus aſſignat, bellè ipſi congruunt ait enim αὐαὶ εἶναι, καὶ ῥίζαν ξυλώδη. i. ſiccam eſſe, & radicem lignoſam. Itaque ſurculo propagari non poſſe, ſed ſolo ſemine, eodem præterea loco ἄοσμον eſſe monet. Vnde Plinius libro xxi. cap. x. inquit. *colore*

tantum

tantum placet Iouis flos, odor abest, sicut & illi qui Græcè phlox. præterea libro XXI. cap. XI. syluestrem esse testatur. sic autem hæc species phlogos vocatur, quod in arenosis nascatur, ἄμμος, siquidem Græcis est arena.

Forma.

Annua est radix breuis modicè fibrata, folia prima profert autumno, plantaginis angustifoliæ nuper erumpentis similia glabra, carnosiora, vnico neruo dirempta hiemis rigorem tolerantia, vere peritura, quæ deinde nascuntur, sunt graminis similia, aliquantulum hirsuta, bina in caulis geniculis. Caulis aut singularis, aut multiplex, geniculatus, teres, tandemque rubescens, ad lignosam duritiem proxime accedens, pedalis, ramosus, è singulis tamen geniculis vnicus, vt plurimum, ex alterutrius folij sinu ramus oritur: in horum fastigio calyculi multi, & lanuginosi, & graciles congesti sunt, singulis subsunt hypocalycia quatuor foliis longis quidem sed angustissimis constantia, quæ illis supereminent separata. Flos est elegantissimus, sed paruus admodum, pilosus quinque foliis constans oblongis, ambitu serratis, rubro colore nitentibus, multis supina in facie punctulis distinctus, primis quidem sature purpurascentibus, reliquis candidis. Complura intus stamina continentur albida inæqualis inter se magnitudinis, tenuia, apicibus è purpureo violaceis, fastigiata. stili duo affixi sunt vmbilico sese in fastigio deorsum reflectentes, qua etiam in parte rubelli sunt, & lanuginosi. semen succedit paruum, coloris nigri.

Floret à Iulio ad Nouembrem vsque.

Nascitur in arenosis & arido solo.

ΟΡΕΙΑ.

Phlogos hæc species ὀρεία.i. montana, vocatur quod in montosis nascatur.

Forma.

Radix eſt longa, nigra, craſſa, perennis, vnde caules multi, quorum baſis rubeſcit, triticei culmi craſſitudinem æquantes, pedales, ſex vt plurimùm diſtincti geniculis, è quibus folia bina graminis prorſus ſimilia oriuntur, quæ ſua baſi à geniculo ad ſemidigitalem altitudinem caulem veſtiunt, At quæ infimæ ipſius parti adnaſcuntur, in hoc differunt quod baſim habent rubram. Ramorum faſtigio inſident flores, ſucceſſiue ſeſe explicantes, foliolis quinque conſtantes, oblongis ad extremum ſemi orbicularibus, & ſerratis è purpura magis rubentibus ſupina ex facie, quam prona, venuliſque ternis rubentioribus inſigniuntur raraque lanugine pubeſcũt. ſtamina foliolis incumbunt decem, & ad mediam ipſorum partem excurrunt in purpura candicantia, ſed apicibus è cinereo cæruleis capitata: vmbilico pro longitudine tenui duo ſtili affiguntur, eiuſdem cum ſtaminibus coloris, & craſſitudinis, at longiores paulo, qui vbi è calyce emerſerunt à ſeſe vt quamplurimum diſtrahuntur. Calyci flos imponitur dilute phæi, ſemidigitum longo, tenui ad mediam vſque partem ſuo tectus hypocalycio quatuor foliis membraneis, ad extremum latioribus è quorum ſingulis denticulis exeritur rufeſcens acutus quodammodo durus tamen innoxius.

Floret Iulio, & Auguſto.

Amat montoſa.



ΘΥΡΣΙΣ.

Θυρσὶς vocatur quod in thyrſi modum congeſtos flores habeat. Recentiores Armerium nominant, Galli *Armoiries.*

Forma.

Radices habet longas, nigricantibus fibris capillatas, vnde ſurculi multi, & caules ſeſquipedales, teretes, ſuperiori parte nonnihil rubentes, caui, geniculati: è ſingulis geniculis folia bina, ex aduerſo poſita, ſubuiridia, quæ baſis ſuæ iunctis appendicibus membraneis, caulis geniculum veſtiunt: reliquum folium ab anguſto in latius progreditur ad medium vſque, deinde ſenſim deſinit in acutum mucronem: latitudo eſt fere digitalis, lõgitudo ſeſquipollicaris; vnicus per medium neruus excurrit inſignis, alij ſunt obſcuriores, ſupina tantum parte ſi diligenter intuearis conſpicui, in caulium cacumine ſunt flores thyrſi inſtar confertim diſpoſiti, quinque foliis per margines ſerratis conſtantes, vix quadrantem digiti æquantibus, longitudine aliquãtominus latis, ab anguſto ſtatim in ſemicircularem figuram abeuntibus, coloris è purpura rubei, ad vnguem tamen aliquando albarum macularum ſerie variatis. ſtamina decẽ interdum pauciora, purpurea, extra florem ſeſe exerunt, ſuperiore ſui parte exiguis ſuis capitulis faſtigiata, inferiori candida, originẽque ducunt à baſi vmbilici, fere teretis, cui infixi ſunt duo ſtili eiuſdem coloris, quæ vix in lucem prodeunt. Calyculis flores imponuntur ſemidigitum lõgis, ſuperiori parte phæis, in quinque denticulos longos, ſed pilorum inſtar tenues deſinentibus, horum hypocalycium conflatur multis foliis membraneis, in longos, molles anguſtiſſimoſque mucrones abeuntibus.

Ab ineunte Iulio ad autumnum vſque floret.

In hortis colitur, & tam ſurculo, quam ſemine propagatur.

Temperamentum, & Vires.

Θυρσίδος folia ſunt tẽperamento frigido & ſicco in fine primi

gradus,

gradus, aſtrictioniſq; non parum obtinent, itaque dyſenteriis, vulneribus, & hæmorrhagiis ſiſtendis non parum proſunt.

ΣΙΓΑΛΗ.

Σιγαλὴν hanc nomino, quia nil prorſus habet quod ipſi gratiâ conciliet.

Forma.

Radix eſt parua & annua, caules palmares, exiles, geniculati, folia in geniculis bina ex aduerſo poſita, digitum paulo longiora, anguſtiſſima vt & caulis è viridi & glauco palleſcentia. In caulium faſtigio floſculi admodum parui, quatuor aut quinq; foliolis conſtantes, non vniuerſi, at ſucceſſiuè ſeſe explicantes impoſiti longo calyculo è ruffo & pullo ſordeſcenti, ſubeſt hypocalycium non elegantius.

Floret ſeptembri.

Naſcitur in arenoſis incultis.

ΦΛΟΞ ΕΥΟΣΜΟΣ.

Secunda Phlogos ſpecies non ſolum coloris elegantia, ſed & odoris ſuauitate, & virium magnitudine ſpectāda; fuit antiquis incognita. Scaliger ille in exercitationibus contra Cardanum ad φλόγα referendā monet. Ruellius Caryophyllæum propter odoris ſimilitudinem cum Caryophyllis nominat. Quidam Betonicam altilem, Vetonicam, & tunicam dicunt vocis Syræ & plantæ affinitate decepti: Syri enim Tunici herbam huic ſimilem appellant. Nonnulli ἴφυον Theophraſti ſuſpicantur eſſe; at me ab iſta opinione dimouent illius verba cap. XII. lib. VII. de plantis πρὸς ὃ τὰ περιανθοῦντα τῶν φύλλων, καὶ τῶν καυλῶν, ὅπερ δοκεῖ ποιεῖν τὸ ἴφυον· Siquidem in hac planta cauli flos ſuccedit. Nonnulli demum ad Cantabricam Plinij referunt, cuius meminit lib. XXV. cap. VIII. Sed non eſt caulis iunceus, neque floſculi velut calathi.


Παγκαλλις
Πορφύριον
Ἀβράνθεια
Ευρυθμίλη

Species.

Ευοσμου φλογὸς ſpecies nouem innotuerunt nobis Παγκαλὶς, Πορφύρειον, Ὑποπόρφυρεις. Μακρονύχη, Κολοβάνθη, Ευρυτμήτη, ἀβεράνθα, αἰολὶς, ὑλάνθη.

ΠΑΓΚΑΛΙΣ.

Radices agit longas, ſubrufas, è quarum capite ſurculi quamplurimi prodeunt, quos multa folia ex aduerſo poſita, è geniculis naſcentia veſtiunt, gramini ſimilia, denſiora coloris glauci; vetuſtiores ex his in caules promouentur, qui quãto altius progrediuntur, tanto frequentioribus diſtringũtur geniculis quorum ſingula binis, vt dictum eſt, donata ſunt foliis. Faſtigium tandem quinque folia profert anguſta, imparis longitudinis, viridis maiori ex parte coloris, quæ iunctis apicibus latis, & mẽbraneis hypocalycium efficiunt cui imponitur Calyx longior multo, quinque aut ſex denticulis in mucronem deſinentibus acutum, membraneumque faſtigiatus: Inde flores Caryophyllæorum referentes odorem, parui, ſemidigiti latitudine, quinque aut ſex foliolis conſtantes, rubris, ſemiorbicularem figurã ad extremum affectantibus, inciſurarumque frequentia ornantur. hęc dum ad baſim tendunt, in anguſtum abeunt, vnguemq; habent candidum, longum, & inter ipſa ſtaminulorũ multitudo late candidorum in lucem vix vnquam prodeuntium, omnibus in mediis vmbilicus eſt oblongus, & anguloſus, coloris è viridi palleſcentis, cuius faſtigio adnaſcuntur ſtili duo longi, candidi, qui vbi è flore ſeſe exeruerunt, recurui fiunt. Succedit ſemen exiguum nigreſcentis coloris.

Odoris ſuauitas placuit florũ ſtudioſis, cultuſque ideo adhibitus ad tantam prouexit elegantiam, vt herba multo maior euaſerit, flos amplitudine foliolorum, & numero vix roſæ ce-

dat. Duobus autem modis hic multiplex conſpicitur, aut enim foliolorum amplitudo & numerus augetur, aut in maxima illorum frequentia calyx cum aliis foliolis alteri innaſcitur.

ΠΟΡΦΥΡΙΟΝ.

Πορφύρειον vocatur à floris colore purpureo.

Forma.

Radice, cauliculis, foliiſque tantum minoribus differt, & articulorum interſtitiis longioribus. Hypocalycium quatuor cõſtat foliis exiguis, quæ appendices membraneas ad mediam vſque ſui partem protenſas iungunt, & palleſcenti colore languent: exin denticulos efformant virides, acute mucronatos, & à calyce recedentes: atque ex his duo ſemper breuiores. Flos multiplici foliolorum ſerie confertus in tenuiſſimas, at longas lacinias dilutè purpuraſcit. Vnguis inferiore ſui parte eſt candidus, ſuperiori nonnihil viridis: in mediis ſunt quamplurima ſtamina, candida palleſcenti apice capitata, ex quibus duo reliquis adultiora ſupereminent foliolis. Vmbilico imponuntur duo ſtili candidi, longi, non tamen è calyce emergunt odoris fragrantia, & ſuauitas huius floris cum ſuperiori certare poteſt.

Eodem floret tempore.

ΥΠΟΠΟΡΦΥΡΙΣ.

Quod minus purpurea eſt, quam ſuperior ὑποπορφυρίδα. i. ſuppurpuream vocamus.

Forma.

A ſuperiori differt quod flos maior & ad ruborem magis inclinet, inciſuræ maiores, cætera omnino ſimilis.

ΜΑΚΡΟΝΥΧΗ.

Hæc ſpecies appellari poteſt Μακρονύχη, quod vnguem foliolorum multo longiorem quam reliquæ, habeat. Duas huius ſpecies obſeruauimus, vnam Ὑψίκερων, alteram ἀκεραίαν appellamus.

ΥΨΙΚΕΡΩΣ.

Ὑψίκερως Græcis, alticornis latin. vocatur, quod ſtilos, inſtar cornuum ſupra florem attollat. Cluſius Sileſiacum caryophyllæum vocat. Galli *œillet incarnat*.

Forma.

Flos è candido miniatus quinque, raro pluribus, foliis conſtat, ab anguſto in latum deſinentibus, per margines ſerratis, at inæqualibus inciſuris. Vnguis longitudine foliolum reliquum æquat, & ex viridi candicat. Decem ſtamina candida primum, at vbi adoleuerint faſtigio purpuraſcente inſigniuntur, capitulumque pallidum habent, ſeſe tãdem è calyculo paululum exerentia, circundantque vmbilicum pentagonum, cui infixi ſunt duo ſtili craſſi, candidi, qui ſupra florem corniculorum inſtar à ſeſe paulatim recedentes altè prouehuntur: ſuperiore ſui parte lanuginoſi, & purpurei euadunt, deorſumque reflectuntur, nec ſtatim poſt apertum florem è tubulo exeruntur.

Floret Iunio. Noſtris in hortis colitur è Sileſia, vt aiunt allata.

Cultus & hanc multiplici flore elegantiorem fecit, & ipſa natura talem producit.

ΑΚΕΡΑΙΑ.

Ἀκεραία vocatur, quod ſtilos extra florem non inſtar cornuum vt ſuperior producat.

Forma.

Huius flos eſt dilutioris coloris, ſtaminaque habet foliolis incumbentia, ſtiloſque duos è calyce non emergentes, cætera ſuperiori ſimilia.

ΚΟΛΟΒΑΝΘΗ.

Hæc ita nominanda videtur, quod pro magnitudine & foliorum, & calycis, flores ſint exigui.

Forma.

Folia non minora quam Pancalis, calyculum parem oſtentat: at flos ſpe fruſtratur, eſt enim admodum paruus, quinque tantum foliolis conflatus, coloris ad lychnidem rubram accedentis. ſtamina inſunt candida ſuperiore ſui parte purpuraſcētia, apices, antequam lucem attigerint, purpureos, mox albicantes, & ſuppurpureis lineis alterno diſpoſitis ordine variatos ſuſtinentia.

ΕΥΡΥΤΜΗΤΗ.

Quod profundis inciſuris flos ſit laciniatus, ſic nominandus videtur.

Forma.

Quatuor foliolis conſtat hypocalycium, in denticulos abeuntibus, non omnino calyci adhærentes, ſed paruo admodum interſtitio ſeiunctos: è calyce foliola in latas, & profundas lacinias diuiſa, inæqualibus tamen inciſuris, coloris dilute purpurei: ſtamina decem continet apicibus è purpura palleſcentibus, quorum capita extra calycem prominent. Vmbilico ſtili ſunt impoſiti craſſiores, ſed breuiores.

ΑΒΡΑΝ

ΑΒΡΑΝΘΕΙΑ.

Gallis *mignardiſes* appellant, inde Græcè Αβρανθεῖαι dici poſſe putaui.

Forma.

E radicibus exiguis, longis, fibroſis, cortice ex phœo rubeſcente contectis, cauliculi multi exiles, breues, geniculati, ſubrubentes ſi flores non ſint producturi, ſin autem, virides, inferiori parte teretes. In his folia è geniculis bina, gramini ſimilia, ſed vix pollicem longa, ſinguli flores inſident faſtigiis, nonnunquã bini, exigui, quinque foliis conſtantes, è rubro, & purpureo miſti coloris, macularum albarum elegantia decoris, per ambitum crenatis, odore ſuperioribus minore. ſtamina multa flores continent capillacea, coloris albi, ſupra calycem vix ſeſe exerentia: his ſupereminent ſtili vmbilico impoſiti eiuſdem prorſus coloris, ſed triplo craſſiores ad extremum inſtar capreolorum conuoluti. Calyci flos imponitur ſubrubenti, hypocalycium ſubeſt quatuor foliis conſtans: quorum duo aliis maiora, mucronibuſque ſuis calyci incumbunt.

ΑΙΟΛΙΣ.

Αἰολὶς vocatur quod florem triplici colore varietur, eiconem vide ſupra cum thyrſide.

Forma.

Foliis eſt longioribus quidem, quam thyrſis, ſed multo anguſtioribus, coloris vireſcentis, floribus vt illa confertis: quorum ſinguli foliolis quinque in tenuiſſimas lacinias diſſectis conſtant, è rubro candicantibus media ſui parte purpureis ad vnguem vireſcenti macula variatis: exigua ſtamina, nunquam in apertum prodeuntia cõtinentur, vmbilicumque circundant

maiori ex parte album, teretem, longum, & tenuem, cui adnaſcuntur duo ſtili, ſupra florem prominentes, & corniculorum modo ita recurui, vt extrema longe à ſeſe diſtant.

ΟΥΛΑΝΘΗ.

Hoc nomen iſti φλογὸς ſpeciei conuenire iudicaui, quod flos in lacinias tam tenues, & profundas ſit diſſectus, vt vere Οὖλος. i. criſpus dici mereatur.

Forma.

Radix eſt aliorum ſimilis. Folia pro longitudine latiora, viridiora. Flos tenuiſſimis, & frequentiſſimis inciſuris criſpans, coloris aut albi, aut è rubro purpuraſcentis, odoris parui. Semẽ aliorum ſimile. Eodem omnes tempore florent, noſtriſque in hortis coluntur.

Cultus.

Ammogenea ſolo ſemine, reliquæ omnes phlogos ſpecies etiam ſurculis propagantur, qui etiamſi nullas habeant fibras: tamen depacti radices emittunt, quæ primis annis tantam alimenti vbertatem ſuppeditant plantæ, vt in eam herbæ, & floris luxuriem euehant, quæ elegantiæ fœnore laborem cultoris compenſet. At vbi quadriennium attigit, iam indureſcentibus radicibus tota imminuitur planta: itaque ſi quis illius decus conſeruare & augere voluerit, vt poſt biennium renouentur fibræ laborandum. Hieme illi à niue, & muribus timendum.

Temperamentum, & Vires.

Flores temperamenti ſunt calidi in primo gradu, ſicci initio ſecundi: arcent à corde virulentum, peſtilentemque halitum; iam obſeſſum à maligna qualitate vindicant, deliquiis medentur.

tur. Aduerſus venenatorum animalium ictus magnopere proſunt. Cerebrum odore ſuo exhilarant: In eos vſus conditi ſaccharo ſeruantur. Infuſi aceto Solis ardoribus expoſito, eaſdem vires ipſi communicant. Aliàs enim marceſcente flore breui euaneſcere cum odore videntur. Radicum, & foliorum vſus mihi nondum exploratus.

ΟΡΕΙΓΑΝΟΝ.

Ορείγανον apud antiquos non ſolum per ει. ſed & per ι ſcriptum legitur, nec in neutro tantum genere, ſed & ὁ & ἡ ὀρείγανος. hocque nominis habuiſſe videtur, quod τοῖς ὄρεσι χαίρει, γάνος enim idem quo χάρα. dicitur & κονύλη. Eius duas ſpecies conſtituit Hippocrates. vnam appellat Ορείγανον ſimpliciter, aut addito epitheto κεφαλοειδὲς, alteram vero λεπτὸν. Theophraſtus totidem ſtatuit, vnam μέλαιναν, quam ἄκαρπον ait, alteram λευκὸν, quam καρπιμόν: At Plinius longe aliter. Itaque cum tam diſcordes auctorum ſententias componi vix, ac ne vix quidem poſſe videamus ſummum in Medicina dictatorem ſequturi, primum in eas quas dixi ſpecies diuidemus: has rurſus in alias, vt res poſtulare videtur: vbi genericas notas dixerimus; quæ ſunt odoris affinitas, capitula ſquammulis compacta, & florum ſimilitudo è capitulis orientium.

ΟΡΕΙΓΑΝΟΝ ΚΕΦΑΛΟΕΙΔΕΣ.

Dioſcorides demonſtrat ſe hoc Oreigani nomine ſolum cognouiſſe, diuiditque in Ηρακλεωτικὴν, ὀνῖτιδα & ἀγριορείγανον, ſiue κονύλην Nicandri.

ΟΡΕΙΓΑΝΟΣ ΗΡΑΚΛΕΟΤΙΚΗ.

Sic dicta fuit ab Heraclea Ponti ciuitate, quod illic & magna

in copia nascitur & optima; non quod genere differat ab eo quod in aliis regionibus passim luxuriat. Itaque donec sagacius aliquis indagarit, nil videtur impedire, quin origanum vulgare heracleoticum appelletur.

Forma.

Per summa cespitum radix serpit hinc inde germinibus luxurians frigora tolerantibus, qui vere in caules attolluntur sesquipedales, interdum minores, fere quadrangulares, pilosi, subrubentes, geniculati, ramosi; è singulis geniculis bina folia breui, tenui, pilosoque pediculo subuecta, in basi penè orbicularia, semidigitum longiora, & in mucronem obtusum desinentia, multa lanugine obsita, supina facie viridia, prona vero nonnihil incana. Caulium fastigiis insident capitula multa squammulis compacta, laxa, & in vmbellæ formam digesta, vnde rubentes flores, Mari non dissimiles, sed maiores, coloris dilute rubei. In his stamina quatuor binis apicibus capitata, ex his duo latioris folioli oras non prætergrediuntur, duo per maiorum incisurarum spatium ducta, instar corniculorum, prominent. stilus è tubulo nunquam exeritur. Reliqua Maro similia.

Floret Iulio ad Octobrem.

Nascitur in incultis, præsertim montosis.

Aliarum duarum specierum meminit Dioscorides ὀνιτίδος scilicet & ἀγριοριγάνου quæ quia nobis nondum innotuere, descriptiones ab illo assumptas hîc assuemus. λευκοτέρα τοῖς φύλλοις ἐστί. καὶ μᾶλλον ἐοικυῖα ὑσσώπῳ. καὶ τὸ σπέρμα ὥσπερ κορύμβους συνεχεῖς ἐπικείμενον ἔχει. Agrioriganum autem non dilucidius indicat. ἔχει μὲν, inquit, φύλλα ὅμοια ὀριγάνῳ, ῥαβδεῖα δὲ σπιθαμιαῖα λεπτά, ἐφ' ὧν σκιάδια ὅμοια ἀνήθῳ.

ΟΡΙΓΑΝΟΣ ΛΕΠΤΗ.

Cum primum plantæ innoteſcere cœperunt, multæ ſub quibuſdam generibus, ſolis aliquibus differẽtiis diſtinguendæ proponebantur, quæ poſtea augeſcente φυτοσπουδαίων ſagacia in diuerſa diſtractæ fuerunt, aut ſaltem aliis nominibus, vt facilius diſtinguerẽtur, donatæ: vtrumque accidit Origano, quod Hippocratis temporibus duabus differẽtiis diſcretum erat, alterum κεφαλοειδοῦς, alterum λεπτῆς. at poſteriora ſæcula ſtatuerunt diuerſa genera, confuſionis vitandæ cauſa; Hinc factum vt Dioſcorides aliud origani, aliud Mari genus conſtituerit, etiamſi notæ genericæ ad idem reuocanda poſtulent, ſed illis temporibus nondum tanta eſſe poterat in plantis obſeruandis perſpicacia.

MARVM.

Marum antiquis incognitum quidam recentiores contendunt, quod Marcellus auctor ſit. Caput de Maro non haberi in duobus vetuſtiſſimis codicibus Dioſcoridis, auget præterea ſuſpicionem, quod Dioſcor. ſoleat recenſere vno loco plantas congeneres, hæc autem ab Origani familia exploſa ſit, denique poſtrema verba primis non reſpondeant: nam capitis initio dicitur γνώριμος πόα. at in fine φύεται δὲ κατὰ μαγνησίαν, καὶ τράλλεις πλεῖστον. At fieri poteſt vt librarij omiſerint in vtroque vetuſtorum codicum, aut in alterutro, & ad eius fidem alter exaratus fuerit. Si ab Origani familia ſeiunxerit Dioſcorides nihil contra ſuum inſtitutum feciſſe videtur qui congeneres plantas vno loco recenſet: nam vna cum ſampſycho illi genere proximo & acino recenſuit, denique verba Dioſc. nil habent ἀνακολουθίας, quidni enim cognita eſſe poteſt herba, cum ob medicos vſus, tũ quod naſcatur multis in locis: tamen maxima in copia circa Magne-

ſiam & Tralles reperiri? Meliloti hiſtoriam potius inter vtramque inſertam cenſerem poſtponendam. nil ergo impedit quo minus genus hoc plantæ Marum vocemus.

MARI *ſpecies.*

Duas Mari ſpecies obſeruauimus τερψινόην & ὀριγανίδα.

ΤΕΡΨΙΝΟΗ.

Τέρψινον vocatur hæc ſpecies quod, dum è cerebro pellit caliginem, quam induxit pituita, expeditiùs reddit ad ſuas functiones obeundas, mentemque ideò exhilarat.

Forma.

Radices exiguas demittit lignoſas, vnde cauliculi quamplurimi, lignoſi, ſolidi, geniculati, quadrangulares, & tandem ruffeſcenti cortice contecti, in nouellis enim palleſcit. Geniculis adnaſcuntur folia bina, ex aduerſo poſita, mollia, orbicularibus oblongiora, quorum maxima vix digiti quadrantem latitudine, vix ſemiſſem longitudine attingunt, breui, ſed denſa lanugine incana. in ſummis cauliculis capitula profert bina, ipſorum faſtigiis tria inſident: omnia ſunt oblonga, & ſquammarum foliacearum ordinibus compacta, ideoq; tetragona, lõga deinde ſerie flores naſcũtur, albi, inter ſubrubentes, exigui, κερατοειδοῦς tubuli formam referentes, in quatuor foliola ſuprema ſui parte diuiſi, ex quibus vnũ latius inciſuram mediam habet, è mediis ſtilus erigitur bifidus in extremo, obſeruet alius ſtamina, nam aut nulla ſunt, aut præ exilitate oculorum aciem effugerunt.

ΟΡΙΓΑΝΙΣ.

Altera ſpecies ὀριγανὶς vocatur ob magnam quam cum origano ſimilitudinem habet, quamuis Dioſcor. hoc nomẽ Maro tribuat,

tribuat, ſed ex multis nominibus vni, eidemque rei attributis, quædam aliis non abſque ratione impertiri, quam multas ſine nomine relinquere ſatius eſt. Multi videntur *origanum* ὀνῖτιδα vocaſſe, ſed his nondum aſſentiri poſſum; cum ſpecificæ notæ ad Mari genus potius reuocandam poſtulent.

ORIGANIDIS *ſpecies.*

Origanidis ſpecies ſunt duæ ſcilicet πρασσίνη, & πολία.

ΠΡΑΣΣΙΝΗ.

Πρασσίνη à viridi foliorum colore nomen adepta fuit. quidam origanum heracleoticum nominant.

Forma.

A ſuperiore differt quod folia maiora paulo habeat, capitula pro magnitudine longiora, caules rubellos, flores eiuſdem coloris, ſed dilutioris; è quibus exeritur ſtilus ad extremum bifidus. In tubulo latitant ſtamina pro exilitate vix conſpicua: illa tamen exeruntur interdum è flore, & ex illis duo ſunt reliquis longiora. Diuiditur floris tubulus in quatuor foliola, quorum latiſſimum mediam habet, at non profundam inciſuram. eſt huius ſpeciei annua, quæ nonniſi quotannis ſata poteſt haberi.

ΠΟΛΙΑ.

Effecere incana folia vt hoc nomen ipſi tribueremus.

Forma.

A Praſſine in hoc tantum differt, quod habeat denſiora, lanugine magis incana folia, oblongiora, & per margines nonnihil denticulata. Cætera Terpſinoes ſimilia.

Temperamentum & vires Origani.

Temperamento eſt calido & ſicco in tertio gradu, ideoque extenuat craſſa, viſcidaque; obſtructiones viſcerum tollit. Columellæ affectus, & tunſillarum ab humiditate nimia, & aphtas curat: pruritum, impetiginem emendat; Hydropibus commodum in potu; lacti permiſtum aurium dolores ab affluxu pituitoſi humoris demulcet; Ruptis conuulſiſque vtiliſſimum tam admotum quam aſſumptum; menſes prouocat, & vrinam; in linctu vſurpatum vindicat à tuſſi, quam craſſa viſcidaque pituita excitat, venenatorum animalium morſibus conuenit, vt, & ijs qui cicutæ ſuccum, aut meconium biberunt: prodeſt & ſuffocationibus ab aſſumpto colchico, aut gypſo, ſed melli & aceto admiſceri debet: ſuccus naribus infuſus cerebrum expurgat. oleum chymica arte extractum dentium dolores ex frigida cauſa ſedat. Tam folia, quam flores pulices fugant & ſerpentes.

Marum eadem poteſt, nec imbecillius. In Mari autem genere, primum Terpſinoë habet locum, præcipue in cerebri roboratione.

GEN-


Asepias

GENTIANA.

A Gentio rege Illyriorum primum obſeruata fuit, nomenque habuit. γεντιανὴ ergo Græcis, gentiana Latin. Gallis etiam *Gentiane*, Germanis *Entzian biterwourtz*, apud Apuleium nomina quædam alia reperiuntur, ſcilicet κενταύρειος ῥίζα, ναρκὴ, χειρώνιον, διοΐτίς, aloë gallica, baſilica, & ciminalis.

Species.

Maior eſt, & minor quam gentianellam vocarunt recentiores.

MAIOR.

Solam maiorem antiqui, & eam quæ eſſet floribus luteis, cognouerunt. At recentiorum ſagacia plures eſſe comperit. Itaque generis nomen erit Gentiana, & in tres ſpecies diuidetur in ἀστεριάδα χρυσάνθην & μελανοστίκτην.

ΑΣΤΕΡΙΑΣ.

Αστεριάδα nomino quod in ſtellæ modum flos explicetur.

Forma.

Radicem altè demittit craſſam, buxei coloris, bifidam, aliquando trifidã, ſaporis amariſſimi. Caules inde ſurgunt ſeſquicubitales, teretes & caui, in his autem folia ſunt ex interuallis bina oppoſito ſitu naſcentia ellebori albi ſimilia, craſſiora & viridiora, caules à media ferè parte ad faſtigium cingunt, florum multi ordines verticillatim diſpoſiti, ſingulis ordinibus bina ſubſunt folia parua, è quorum ſinu petioli naſcuntur pollicem longi, florib. infixi, qui quinque aut ſex foliolis conſtant, digitum fere longis, triente anguſtioribus, in radiantis ſtellæ figuram

ram expanſis, quorum omnium baſis membrana è pediculi faſtigio naſcente inuoluitur quinque inſunt ſtamina pallida longum apicem ſuſtinentia luteum : Stilus inter hæc ſurgit è pallido vireſcens, ima parte craſſus, ſuprema verò acutus, ſed biſulcus. excuſſis floribus ſuccedunt calyculi teretes pyramidales, anguſtiore tamen ceruice, tandemq; in bifidũ apicem deſinẽtes in quib. ſemen latum, tenue è ruffo colore ſordeſcenti læue.

Floret Iulio & Auguſto.

Naſcitur in altorum montium iugis, locis quippe gaudet frigidis & humidis.

ΚΟΙΛΑΝΘΗ.

Κοιλάνθην vocamus quod flore ſit cauo : latinè cauiflora dici poteſt.

Forma.

Craſſam, foris plærumq; flauam, intus albam radicem agit, quotannis noua germina proferentem, & multos caules ex eodem capite, florentes alternis annis, tum autem extremos ornant caules duo vel tres florum verticilli purpuraſcentiũ, quam ſuperioris maiorum, concauorum, in ſenas aut plures lacinias obtuſas extremis oris diuiſorum, & purpureis punctis inferiori, & interiori parte diſtinctorum. Laciniarum numerum æquant ſtamina, vmbilicum ambientia, qui tandem in vaſculum excreſcit bifidum, in quo ſemen planum paleaceum minus quam ſuperioris, reliqua tamen illi ſimilia.

Floret Auguſto.

In altiſſimorum montium iugis naſcitur.

ΜΕΛΑΝΟΣΤΙΚΤΗ.

Quod flos punctulis nigreſcentib. ſit diſtinctus Melanoſti-

cte à nobis appellatur, gentianam punctatam Thomas Pennæus apud Clusium vocat.

Forma.

Ex fusco lutea est radix parua, multasq; hinc inde fibras emittit. Caulis cubitalis, infima sui parte nonnihil rubescens, geniculatus, in singulis geniculis folia bina, asteriadis similia, sed minora, ex his inferiora, maiora, subuehunturque rubentib. pediculis quib. superiora destituuntur: ex horum sinu à medio ferè caule oriuntur flosculi subcærulei striati, pentaphylli similes, quinque foliolis constantes nigricantibus punctis distincti, stamina continent quinque, luteis capitulis fastigiata, florum primos ordines duos, vel tres ramuli subuehunt bini, foliis exilib. donati, quæ exortum præbent trib. raro duob. petiolis quos singula genicula è foliorum sinu attollunt: postremus vero in tres finitur, vt plurimum floribus succedunt vascula in quib. semen asteriadis simile, sed minus.

Floret Augusto.

Nascitur in Suitensium monte Bockemuto.

Temperamentum, & Vires.

Temperamento est triplex hæc gentiana calido in tertio gradu & sicco in secundo, itaque multum efficax cum opus est extenuatione, abstersione, per vrinas expurgatione, atque obstructione tollenda, eademque ratione deiectis ex alto ruptis & conuulsis vtiliter dari potest, collyrij modo subdita partus eijcit, vlcerib. depascentib. adhibitus succus medetur, & vulneribus: oculis quibus crassi viscidique humores inflammationẽ attulerunt prodest illitus, collyriisque acribus admiscetur, vt narcoticis opium. Succus vero fit non tantum ex virescentium radicum expressione, sed siccarum decocto in aqua ad spissitudinem

dinem mellis redacto, sicque paratum Plin. Lycium vocat, à similitudine quam cum lycio habet. Radix præterea alexiteria vi pollet.

Gentiana minor.

Gentiana minor fuit à recentioribus Gentianella dicta, nosque idem nomen retinebimus.

GENTIANELLÆ *species.*

Gentianellæ tres sunt species Καλαθὶς, Καμπυλοία, & πίκειον.

ΚΑΛΑΘΙΣ.

Καλαθὶς, sic dicta, quod flos quasilli formam referat.

Species.

In quinque species hæc diuiditur, in δασυστεφάνην, κυανῆν θυλακίτιδα, ὀψάνθην, & ἐρυθάλειαν.

ΔΑΣΗΣΤΕΦΑΝΗ.

Δασυστεφάνην Græcè vocamus hanc, quod caules sint floribus densè stipati. Gesnerus in descriptione montis fracti, *bitter vourtz* Germanice nominat ob radicis amarorem. Clusius Gentianam secundam cæruleo flore.

Forma.

Lutea est, & mediocris crassitudinis radix, vnde huc, illuc sparguntur fibrę eiusdem coloris, viuax, singulis enim annis noua profert germina, illi supercrescunt caules complures, cubitales, firmi, in quibus folia bina, vincetoxici, quod vocant similia, coloris tamen dilutioris, mollia, in mucronem acutum desinentia, tribus neruis per longitudinem excurrentibus insigni-


Δασυσεφανη
Ηριγαλη Campil. Species
Κυανή
Θυλα- κιτίς

ta, toti fere caules ornãtur floribus ex foliorum ſinu originem ducentibus, concauis, oblongis, conuoluuli quodammodo ſimilibus, in quinquangulare faſtigium deſinentibus, ſaturatè cæruleis, nonnunquam in purpureum declinantibus. vmbilicum circundant quinque ſtamina pallida, ſuccedit pericarpium bicorne, hians per maturitatem, in quo ſemen paleaceum cinerei coloris.

Floret Auguſto menſe, maturum ſemen eſt Septembri.

Naſcitur in Rheticis montibus.

ΚΥΑΝΗ.

Græce hæc dici poteſt, quod elegantiſſimo colore cæruleo conſpicuus eſt flos: quidam Calathianam Violam Plinii eſſe putant, quibus nec aduerſor, nec aſſentior, in tanta enim breuitate deſcriptionis, quis certi aliquid ſtatuere poſſit? Cordus pneumonanthen nominat, ſed quo rationis momento ab aliis expendatur. Germani *Blauu le hekens*. Ananienſes *Petimborſa*.

Forma.

Parua eſt radix, ſed craſſis, flaueſcentibus, & longis fulcitur fibris. Inde caulem interdum vnicum, interdum duos, vel plures erigit ad dodrantalem altitudinem, qui ſunt tenues, geniculati, aſperi, aliquantum rubentes, nonnunquam ramoſi, foliis ſtipati hyſſopi ſimilibus, coloris in pallido vireſcentis. Illorum faſtigio imponitur alabaſtrum campanularum ſimile, nonnihil rubens, multis denticulis anguſtis, & oblongis florem continens calathi formam aliquo modo referẽtem, ab anguſta baſi in latius abeuntem, &, antequã aperiatur, complicatum in rugas ad extremum contortas, tunc exterior facies è cæruleo vireſcit: at cum explicatus fuit, tota pars illa quam plicatura condebat, è purpureo cæruleum colorem tam elegantem oſtentat,

vt nulli flori cæruleo, nulli pigmento cedat, extremus ambitus quinque incisuris in denticulos totidem diuiditur, inter quos singuli sunt alij, sed admodum parui, stamina continentur quatuor, aut quinque albida, quæ iunctis apicibus pallidis in acutum desinunt, hæc stilum circundant bifidum, subsequuntur conceptacula, oblongæ formæ in quib. semen exile.

Locis gaudet incultis, siue humidis, siue siccis, sed in illis quam in his lætior.

Floret autumno.

ΘΥΛΑΚΙΤΙΣ.

Απὸ τοῦ θυλάκου nomen habet, flos enim speciem sacci, culei quandam præ se fert. Gallis, *Reperet*. Germanis, vt auctor est Gesnerus, etiam *bilteruourtz*, est alia thylaritis apud Plinium.

Forma.

A superiori non multum differt radix, sed pluribus luxuriat germinibus, primum sex aut octo foliis humum sternit, eodem modo quo Erythræa, quæ eodem etiam ordine sunt disposita, ipsi præterea similia sed viridiora, densiora, duriora, & læuiora, saporis amarissimi. Ex his mediis surgit cauliculus, pollicaris altitudinis, quatuor foliis stipatus, binis ex interuallo, alternoque ordine, & opposito situ nascentibus, insidēt cauliculorum fastigio flores singuli, calathi modo concaui, longi, in quinque angulos acutos desinentes, duas vtrinque ea parte, qua laciniæ findi incipiunt, appendiculas habentes elegantissimo colore, è purpura cæruleo superbientes. Ex infimo floris fundo exoriuntur quinque nerui, qui coeuntes stilum efformant prominentem; succedit pericarpium longum & mucronatum, in duas partes sese aperiens, in quo semen terrei coloris.

Nascitur in niuosis montibus.

Floret

Floret Iunio & Iulio quo tempore vernant altorum montium iuga.

ΟΨΑΝΘΗ.

Græcis Οψάνθη potest dici lat. tardiflora, quod sub Autumnum floreat.

Forma.

Radiculam habet exiguam, vnde caulis ad dodrantalem altitudinem surgit geniculatus, ima parte quadratus, superiori vero vtrimque compressior, è geniculis folia ex interuallo bina, interdum terna, opposito situ nascuntur. Erythrææ similia, sed aliquanto molliora, atque ex his quæ superiora sunt basim habent latiorem, & in mucronem desinunt acutiorem: supina præterea facie ad phæum colorem vergunt, prona autem è pallido virescunt, qua vero parte cauli adnascuntur, macula phæa insigniuntur, quæ, postquam caulis eundem colorem adeptus est, minus conspicua est. Ex foliorum superiorum sinu vt plurimum oriuntur breues ramuli ad vnicum tantummodo geniculum excrescētes, nam in floris petiolum statim abeunt. Caulis fastigium, vt & ramulorum quandoq. vnicum florem, quādoque sustinet plures: horum petioli sunt quadrangulares, cauli concolores, si plures sint, longitudine impares obseruabis; medius enim longior, ab hoc alij quo magis distant, eo breuiores. Petiolo imponitur calyculus pentagonus, quinque tanquam foliis ad medium vsque coalescentibus constans, è quibus duo sunt reliquis maiora, per margines exterius aliquantulum reflexa, inde flos surgit longus, calatho similis, non vnius coloris totus, pars enim inferior est cærulei admodum diluti, & exteriori facie rugis vndantibus elegantissima, huius longitudo fere digitalis, crassitudo quadrante digiti amplior; superior vero in

quinq; foliola profundiuſculis diuiſuris inciditur, violaceique coloris elegantiam prouocat. Interiorem cauitatem firmat membranula, quæ cum inciſuras attigit, in multos villos dilute violaceos abit. quinque ſtamina pallida nigris apicibus, ſed obductis puluiſculo pallido capitata, ſtilum circundant bifidum, vmbilico impoſitum qui tandem longus efficitur calyculus, repleturque ſemine paruo, & rotundo, ſaporis inſipidi: quamuis reliquæ plantæ nulli cedat amaror. Naſcitur in incultis, qualis non procul ab Lutetia ille collis, qui ab Icyo ad Mudonium extenditur.

ΕΥΡΥΘΑΛΕΙΑ.

Quod maxima ramulorum & florum luxurie conſpicua ſit, hoc nomine poteſt donari, & in hoc à ſuperiori differt, præterea quod calyculi vice, duo tantum habeat folia ad petiolum vſque diuiſa.

In altorum montium iugis frequentiſſimam videre memini.

Temperamentum, & vires.

Amariſſimus harum ſapor indicat eſſe temperamento initio tertij gradus calido, & in fine ſecundi ſicco, nullaque in re cedere Gentianæ. Sed hoc habent præcipuum vt colicis doloribus à flatu mirifice proſint, quæ autem ex his præſtantiſſima ſit, difficile dictu. Hoc obiter notandum ſolius ὀψάνθης radicem non vſurpari.

ΚΑΜΠΥ-



ΚΑΜΠΥΛΟΑ.

Hanc Gentianellæ ſpeciem καμπυλώαν vocamus, quod flos limbum, quem Græci ὠὰν appellant, κάμπυλον .i. flexum habeat. Duas ſpecies obſeruaui Τρητοῤῥίζαν, & Ηειχάλλιω.

ΤΡΗΤΟΡΡΙΖΑ.

Τρητοῤῥίζα vocatur, quod radice ſit perforata; vulgo cruciata, quod foramina ſint cruciatim ducta vel quod foliorum ordines cauli cruciatim adnaſcantur. Inde Galli, *Croiſette*. Germanis, *Madelgeer*.

Forma.

Radix alba eſt, & longa, digitalis craſſitudinis, fibriſque huc illuc diſcurrentibus innititur, & dum ad ſumma ceſpitum accedit duabus per trāſuerſum inciſuris in quatuor columnas finditur, nō pares craſſitudine, nam duæ alias duplo ſuperant, mediuſque neruus, qui infra columnas erat teres, in circuitu tamē dēticulatus, illas vbi prætergreſſus quadratam adipiſcitur figuram. Caules inde ſurgunt pedales, aut paulo breuiores, teretes, geniculati, ſolidi, inferiore ſui parte, è viridi candicantes, ſuperiori vero phæi. In his folia ſunt bina in ſingulis geniculis, ordine alterno in diuerſas partes digeſto, primus itaque tertio, ſecundus quarto reſpondet. Illa ſaponariæ ſunt ſimilia, duobus tantummodo neruis, medioque inter vtrunque excurrenti donantur. Vnitáque demum baſi caulem amplectuntur. è ſuperiorum ſinu vnicus aut plures flores ſurgunt eleganti cæruleo colore decori, tubulo conſtantes ventrioſo, tandemq; in quatuor foliola deſinentes, inter quæ ſunt reciſamenta quædā multis denticulis conſpicua, longis quidem, ſed tenuibus. ſtamina continent quaterna, ſinguli ad mediam vſque partem tubulo adnata, candida capitulo infixa pallido. in his mediis ſtat triangularis

gularis ſtilus, cuius baſis viridis eſt; faſtigium vero bifidũm, & eiuſdem cum ſtaminibus coloris, calyci flos imponitur mẽbraneo, tribus aut quatuor denticulis tenuibus donato. marceſcẽs non decidit, at ſiliquulam veſtit digitum longam, non omnino teretem, quæ in duas partes per maturitatem ad mediam vſque partem interdum ad infimam diuiſa, excidendi copiam ſemini facit. quod quidem eſt tenuiſſimum, coloris rufi, ſaporis vero cum quadam acrimonia grati.

In incultis, quibus frigidum ſolum, & petroſum ſubeſt, frequens naſcitur. Reperitur aliquando radice nullo modo fiſſa, quæ alias à ſuperiori non differt.

Iulio menſe floret.

ΗΡΙΚΑΛΗ.

Sic vocari poſſe iudicaui, quod vere flores elegantiſſimos proferat. ἦρ ſiquidem Græcis ver ſignificat, καλὴ vero elegantem. Itaque Ηρικάλη eſt vere elegans.

Forma.

Radice innititur longa, flaueſcente, multis fibris capillata, germinibuſq; in multas partes diffuſis luxuriante. Cauliculum ſingula proferũt breuem, & gracilem, in quo tres ordines ſunt, interdum plures foliorum binorum oppoſito ſitu naſcentium, trineruium, digitalem latitudinem vix attingentium, oblongorum: cauliculi faſtigio calyx inſidet longus, vnde non breuis tubulus prominet, in quinque foliola ſtellæ modo ſeſe expandentia, ſuperiori parte diuiſus, coloris elegantiſſimè cærulei, ſingula candicanti ad latus linea inſigniuntur. Ima foliolorum interſtitia occupant appendices mucronatæ, ſtaminula continentur palleſcentia, hæc ſequitur pericarpium longum in mucronem abiens, durum. Semen non potui obſeruare.

Naſcitur in altis montibus, culturæque impatiens.

Floret Iunio. Eadem præſtat Καμπυλώα, quæ Καλαθίς.


Ερυθραῖα
Χλωρά

ΠΙΚΡΙΟΝ.

Tertia Gentianellæ ſpecies eſt Πίκριον, ſicque vocatur ob amarorem; eius duas ſpecies obſeruaui, erythræam, & Chloram.

ERITHRÆA.

Erythræa vulgo centaurium minus vocatur, non ſine magno errore, hanc ſiquidem οἵτινες λιμναῖον καλοῦσιν ἐπειδὴ ἐνίκμοις φυλεῖ τόποις. ait Dioſcorides .i. lacuſtrem vocant, quandoquidem amat loca humida. Eadem ratione libadion à quibuſdam vocari ſcribit Plinius. quod huic plantæ nequit conuenire, cum ſiccis gaudeat, nec eſt quod obiiciat aliquis ex Dioſcoride πόα ἐστὶ ὑπερικῷ, καὶ ὀριγάνῳ παραπλησία .i. herbam eſſe, hyperico, & origano ſimilem. nam hoc loco totam herbam illis comparat, nempe herbæ magnitudinem. Subdit enim ἔχουσα καυλὸν ὑπὲρ σπιθαμὴν caulem habens ſupra dodrantem. nec quod ſequitur Ἄνθη ἐν τῷ φοινικῷ ὑποπόρφυρα πρὸς τὰ τῆς λυχνίδος. i. flores in puniceo purpuraſcentes ad lychnidem accedentes. Nam hæc cum lychnide ſimilitudo de colore intelligenda. quod ſequitur nos monuiſſe deberet quantum diſcriminis ſit inter vtramque plantam. φύλλα μικρὰ ὑπερμήκη ὥσπερ πηγάνου .i. folia parua, prælonga vt ruta. quæ verba quidam annotant in vetuſtis aliquibus codicibus non haberi, ſed hoc librariorum incuria accidit. Plinius enim ait Origano anguſtioribus & longioribus foliis vbi exprimere voluit τὸ ὑπερμήκη Dioſcor. tamen apud Dioſcoridem legiſſe videtur non πηγάνου, ſed ὀριγάνου. Denique Centaurij καρπὸς ὅμοιος πυρῷ ait Dioſcor. At ſiue καρπὸν accipias pro ſemine vna cum illius conceptaculo, ſiue pro ſemine tantum, nullam cum tritico ſimilitudinem habere comperies. Quod ſi quis nihilominus putet centaurium eſſe, ab opinione reuocare poteſt vis purgatrix eximia, quam antiqui omnes obſerua-

runt in illo. Nam Erythræa purgandi facultate prorſus deſtituitur. Ergo diuerſæ plantæ, nec altera poteſt in omnibus alteri ſuccedere; quare plantam hanc ab antiquis potius non obſeruatam cenſemus. Ideoque & generi, & ſpeciebus nomen aſſignandum iudicauimus. Ergo Πίκελον ob amarorem vocamus genus: ſpeciem alteram ἐρυθραῖαν, alteram χλωρὰν. Generica nota eſt in amarore & inferiorum foliorum ſimilitudine. Demum vocatur Ερυθραῖα Græcis, Latinis Rubella. Gallis *la rougette.* quod rubeos flores producat. quibuſdam etiam *chaſſe-peſte.* ratio poſthac explicabitur.

Forma.

Exigua radix eſt alba, lignoſa, paucaſque fibras emittit. folia primum profert quatuor, aut ſex, quæ etſi naſcantur bina, tamen omnium origo ab vno eodemque loco peti poſſe videtur, humique ſternuntur, orbicularibus paulo longiora, digiti latitudinem æquantia, nonnunquam anguſtiora ſunt, quinque neruis albicantibus diſtincta, quorum medius craſſior eſt, minores extremi, prona facie ſuppallida, ſupina vireſcenti: inde caulis pedalis, quadrangularis, geniculatus, ſolidus, ramoſus: è geniculis folia bina, ſitu oppoſito naſcentia, hyperico ſimilia, ſed latiora, ſine pediculis cauli adhærentia, tribus tantum neruis prona facie magis conſpicuis firmata, quæ tamen ramulis, aut ſupremæ caulis parti adnaſcuntur, vnicum habent. ſummi & cauliculi & ramuli in tres vt plurimum diuiduntur pediculos, hi vero in duos petiolos, mediumque florem petiolo carentem ſingulis diuiſuris bina folia ſubſunt perexigua. Calyculus quinque foliis conſtans, ſuſtinet florẽ totidem foliolis conflatum rubei coloris, interdum albi, oblongis, paruis, in ſtellæ modum diductis, veſperi cõniuentibus, ad Solis radios ſeſe explicantibus, nullius odoris. ſtamina quinque continet exilia,

coloris

coloris albi, luteo apice capitata, ſummóque ab vngue naſcentia. Inter hæc eſt ſtilus breuior, apicibus duob. pro exilitate ipſius latis faſtigiatus.

His ſuccedit thecula longa & teres ſiliginis grano ſimilis in quo minutiſſimum ſemen.

Incultis gaudet, & ſiccis.

Floret Iulio & Auguſto.

Temperamentum, & vires.

Amara eſt cum nonnulla tenuitate partium, temperamento, non ſupra ſecundum gradum calido, & in fine primi ſicco. Aſſumpta meſenterij, hepatis, & lienis obſtructiones expedit, lumbricos necat, habet & locum in antidoto ad rabiem arcendam, & iam in corpore ferocientis extinguendum furorem: Nulla vidi animalia, dummodo ſupra maxillam ſuperiorem rabidum vulnus non accepiſſent, aut tertium à morbo diem non eſſent prætergreſſa, rabie correpta quæ illius vſu ad priſtinam valetudinem reuocata non fuerint, nulla quæ maturè aſſumpto vindicata non perſtiterint. Iulio menſe, aëre ſereno, legantur herbæ, plantago, abſinthium, arthemiſia, verbena, ruta, hypericum, erythræa, mentha, melyſſophyllon, ſaluia minor, polypodium, & betonica ſeorſim vmbroſo in loco ſiccentur ſubſtratis, & impoſitis chartis, omnia pari pondere miſta terantur. huius pulueris ʒ ß. ad ℥ j. vel per ſe, vel ex quouis liquore immiſtus exhibeatur tribus continuis diebus matutinis ſi præcautionis cauſa: ſi vero curationis qualibet hora, quocunq; poteris artificio, intrudas. Decoctum etiam fieri poteſt, at in vaſe circulatorio, ne quid exhalet, pulueriſque duplum accipiendum. Ad peſtem arcendam plurimum poteſt ipſius erythrææ flos, ſi condîtus ſaccharo ſingulis diebus matutinis, ſeſqui hora ante cibum ſumatur: magnopere etiam poſſe ad diatheſin corrigen-

dam, quæ arthriticos humores generat, eodem ſumptam modo mihi compertum eſt.

ΧΛΩΡΑ.

Græce χλωρὰ vocatur, quod flores ſublutei ſint coloris.

Forma.

Radix admodum exilis primum humi ſpargit folia, quam erythrææ maiora paulo, figuram tamen eandẽ affectantia, quibus è mediis ſurgit caulis rectus, teres, pedis altitudinem nonnunquam ſuperans, per foliorum quatuor, aut quinque paria traiectus perfoliatæ modo, ipſa enim quæ caulem longo diſſita interuallo ambiunt ex aduerſo poſita, eo inter ſe modo continua ſunt, vt nõ duo folia, ſed vnum duobus apicibus donatum iudices: quinetiam concauo ſinu alueolum efficiunt qui poſſit aquæ guttulas aliquot capere, interdum imbricatim complicantur: eiuſmodi folia ſunt etiam quam erythrææ maiora nec adeo acuminata; ſuperiori ſua parte in duos ramulos finditur vnumq; floris petiolum qui medius eſt, ramuli rurſus in alios, eadem tamen lege obſeruata, nempe vt in illorum medio, ſit breuis petiolus, aut ſi ad ſuæ altitudinis finem peruenerit planta, in tres petiolos findantur ramuli, extremos ſcilicet longiores, mediumque breuiorem, plerumq; nihilominus alterutrum extremorum deficere obſeruabis. præterea qui medius eſt primum florere ſingulis diuiſuris bina ſubſunt folia perexigua petiolorum faſtigium, in ſtamina octo foliacea diuiditur flori ſuppoſita. Hactenus planta eſt è cinereo & glauco viridis. Flos octo cõſtat foliolis ſtellatim diſpoſitis, ſubluteo colore micantibus, nec facile decidentibus: ſed marcido capitulo pertinaciter adhærentibus: octo denique inſunt ſtaminula eiuſdem coloris, medium ſtilum pallidum circundantia; duob. apiculis capitatum

pitatum. huius etiam amplitudo eſt maior quam erythrææ. Capitulum ſuccreſcit rotundo oblongius, ſemen continens exiguum nigricantis coloris.

Floret à Iulio ad Septembrem vſque.

In ſaxoſis incultis naſcitur.

Vires habet ſuperiori ſimiles, ſed imbecilliores multo.

ΒΟΥΠΥΡΟΝ.

Ex recentioribus multi μελάμπυρον nominarunt. Sed mihi nondum innotuit ratio: non enim potuerunt antiquorum auctoritate moueri: μελάμπυρον ſiquidem cuius Theophraſtus & Galenus meminere, à vero tritico nigri coloris labe contracta degenerauit, quod ſæpe contingit aëris, & ſoli vitio. alterius μελαμπύρου Dioſcorides meminit, μυάγρος, inquit, οἱ δὲ μελαμπύρον, ſed vtrunque ab hac planta longe eſt alius generis, quare falſiſſimum credimus in hanc triticum degenerare. Itaque ab antiquis potius prætermiſſam, exiſtimãtes, βούπυρον appellabimus, Latine Triticum Vaccinum. Gallice *Blé de vache*, & *queuë de regnard.* non tamen eſt ἀλωπέκουρος Theophraſti, nec Plinij: herbam ſiquidem habet tritico ſimilem. Germanice *Knuveyſſen & braunfleiſchblumen.*

Forma.

Ab exigua radice, & annua in caulem pedalem ſurgit quadrangularem, exigua lanugine aſperum, cuius imam partem ſolum primis menſibus è viridi in phæum tendens color occupat, at cum adoleuit, per totum caulem & foliorum neruos diffunditur. E caule ramuli complures naſcuntur ortu diuerſo, nonnunquam oppoſito, his ſubſunt folia bina ex aduerſo oppoſita, non eiuſdem figuræ, nam inferiora tarconis herbæ, aut hyſſopi

vulgaris ſimilia, ſuperiora vero differũt, quod baſi quidem lata ſint, ſed in vncinos molles & innoxios diſciſſa, quoque altiorẽ locum obtinent, eò breuiora, non autem anguſtiora conſpiciantur, & plures oſtentant cuſpides (potius laciniis pluribus barbata dicere potes) rurſus in colore non paruum eſt diſcrimen, ea ſiquidem, è quorum ſinu oriuntur ramuli, coloris ſunt primum ſature viridis, at progreſſu temporis, vna cum neruis & caule in phæo colore nigreſcunt: quæ floribus ſuppoſita ſunt, in rubro colore belle purpuraſcũt, quoad flores deciderint, tum enim paulatim vireſcunt. è foliorum ſinu breui admodum pediculo euehuntur alabaſtri quatuor reciſamentis barbati, vnde flos, cuius tubulus ad baſim tenuis, corpore verò paulò craſſiore facto in extremum deſinit fiſſum, nec tamen dehiſcens, lamij alioqui ſimile; eius pars ſuperior cucullum, non adeo concauum, ſed longum efficit, quo ſtamina reconduntur: inferior & fauces, & inferiorem auiculæ recens natæ roſtri partem imitatur, eadem è luteo palleſcenti macula inſignitur: reliquum vero purpuraſcit. ſtamina ſunt quatuor, longis apicibus & medio viridibus faſtigiata, inter hæc ſtilus ſurgit deorſum reflexus: flores denique cum foliis ſubiectis ita faſtigium caulis ſtipant, vt ſpicæ ſpeciem habeant.

Naſcitur paſſim inter ſegetes, at argiloſis in aruis.

Florere incipit Iunio.

Temperamento eſt frigido in primo gradu, ſicco vero in ſecundo. In putridis Febribus non parum affert ſolatij, vt nec in renum calculi præſeruatione.

Gratum bobus pabulum.


Χρυσηίς

ΧΡΥΣΗΙΣ.

Siue aurum ſolis nomine ditare libuerit; ex figura & colore floris nomen aſſignare; ſeu commoda ſpectes, quæ humano generi confert hæc planta, nos nihil peccare animaduertes ſi χρυσηΐδα vocemus, cum Homerus Phœbi .i. ſolis ſacerdotem χρύσην nominarit eiuſque filium χρυσηΐδα: aurea enim vere eſt planta, Soliſque tam amica vt in illius aſpectum tenera obuertat capitula, præterea flos ſpeciem aliquam Solis præ ſe fert aureoque colore ſpectandus, demum, quod maxime eſt vtile, poteſt ab auro nomen ſumere.

Forma.

Radix eſt parua, alba, multis craſſiſque fibris innitens; caulem profert homine altiorem, craſſitudine bracchium æquantem, teretem, viridem, è luteo viridi cortice veſtitum, multis pilis breuibus quidem, ſed duriuſculis aſperum, aliquando ramoſum, ſed quo plurib. ramis luxuriat eò minor tota planta, medulla candicanti plenum, pars tamen ſuperior caua eſt, ceruix autem, quæ ad ponderoſi maximique floris ſuſtentationem intumuit, medulla rara, bombacis ſpeciem præ ſe ferente oppletur. In caule folia ſunt frequentiſſima nullum in ſitu ordinem ſeruantia, longis craſſiſque pediculis ſubuecta, Bardanæ ſimilibus, ſed minoribus & duriuſculis, aſperioribus & pilis hirta ambitu crenatis, ex illis inferiora decidunt ante honorem plantæ. caulis faſtigio inſidet capitulum Cinaræ ſimile, niſi pro ſquammis tenerrimos haberet pediculos foliorum, quibus comans ſuperbit, dum ſolis ad aſpectum ſeſe circumagit: at vbi in diſcum excreuit, illa ita explicantur, vt ipſius poſterioribus cute veſtitis ſimili cortici caulis affixa ordine incerto, magnoque interuallo diſſita, conſpiciantur, aliorum figuram.

ram imitantia, magnitudinem tamen nunquam attingentia, tum ceruix durior euasit quam sponte sua faciem Solis possit circumspectare. Discum ambiunt foliola pollicem lata duplo longiora ad vtrumque extremum in angustius abeuntia, striata, innumeris neruis prona ex parte insignia, vngui terete, solido, sapore amaro: medium spatium flosculi dense stipati occupant, instar tubuli oblongi, sublutei, in fastigio quinque denticulis crenati, in basi nodulo insigniti glabro, striolis distincto, huic subest vnguis teres, & breuis: singula insunt his floribus stamina candida, longo apice & nigricante donata, quorum fastigium duo exerit cornicula coloris aurei, quæ vbi flaccescere inceperunt, nodulus vngui impositus intumescit, & lanuginosus euadit. flos vmbilico insidet albo, longo & compresso duobus foliis membraneis, & candicantibus aurîto. Ipsum alba tunicula exteriori tantum ex parte fouet in subuiridem tandem mucronem desinens: è medio flore exudat resina Terebinthina paulo durior, candidissima. succrescit flosculis semen Cnico quidem simile, sed duplo maius nigricantis coloris, quadrangulare, duobus tamen angulis maioribus, alba linea excurrenti variatis. nucleus continetur non ingrati saporis, resinam abiegnam vt tota hæc planta, resipiens; quo nigrius semen, eo melius. aiunt tamen quasdam plantas album proferre optimum, hoc mihi nondum innotuit.

Floret Augusto.

A Peruana regione aduecta nostros hortos non dedignatur, si Aprili mense fuerit sata.

Temperamentum, & vires.

Temperamento est calido & initio tertij gradus, siccoque secundo, itaque terget, discutit, vrinas mouet & menses, calcu-

los è renibus deturbat. foliorum decoctum vlceribus ſordidis vtiliſſimum. Gonorrhææ virulentæ iam iam inueteratæ. & capitis doloribus à frigida cauſa confert.

Reſina in flore concreſcens eadem poteſt, ſed efficacius.

ΟΡΝΙΘΟΓΑΛΟΝ.

Græci Ορνιθόγαλον .i. lac auis nominarunt, caſu potius quam conſilio, quid enim eſt lac auis? Latini Græco nomine ſunt vſi; Plinius ornithogalen vocat, ſed nobis nomen erit generis, quia multas eius ſpecies noſtra ætas obſeruauit, quas propriis nominibus deſignare oportet.

Generica ornithogalorum nota eſt, flos ſex foliolis conſtans, ſuppoſitaque petiolis folia.

Species.

Sex ſpecies ornithogali obſeruantur ἡλιόχαρμος, μελανομφάλη, πυῤῥοχίτων, ὑπόξυς, λευκοκυαίη, σταχυώδες. Cluſius plurium mentionem facit, ſed ſint ne ſpecificis differentiis diſtinctæ, dubito.


Ηλιοχαρμος

ΗΛΙΟΚΑΡΜΟΣ.

Ἡλιόχαρμον vocandam censui .i. sole gaudentem, quod eo solum tempore flores explicet, quo Sol radios suos liberè in terram eiaculatur, si enim vel nubes, vel tenebræ noctis obstent illos occludit, hunc solum antiqui nouere, non enim aliud est ὀρνιθόγαλον Discoridis, ab ornithogale Plinij, vt volunt aliqui, siquidem apud Dioscor. non διασπιθαμιαῖον, sed σπιθαμιαῖον legendum esse vel Plinij verba docent, & ratio postulat; Nam & illa species quam μελανομφάλην vocamus esse non potest (vt astruere conantur) Dioscoridis ὀρνιθόγαλον, quod hoc, ἄνθεα ἔξωθεν βοτανώδη .i. exteriori in facie virides habeat flores: merito aliquis dubitarit sit ne Βολβίνη Matronis apud Athenæum, quam ait λευκοτέραν χιόνος, καὶ ἰδεῖν ἀμύλοισιν ὁμοίαν. Illius etiam meminit Theophrastus, sed nullis prorsus notis ascriptis.

Forma.

Bulbus est candidissimi coloris, insipidus turbinatus, quam Narcissi minor, vnica vel altera tunica tectus, multa prole comitatus: inde folia pedem fere longa quorum pars inferior candida est, & prætenuis, quæ autem in auras surgit, viridis & latior quamuis sextantem digiti vix attingat, præterea carinata est, & alba linea per longitudinem excurrente insignitur, ex horum medio ad semipedalem altitudinem surgit caulis tener, teres, & glaber, in basi sua tenuior & candidus, fastigium autem paulo crassius in quatuor, aut plures petiolos abit, exteriori facie teretes, interiori vero planos, pollicem longos, alios aliis sede altiori collocatos, eorũ basim foliola muniunt singula oblonga, membranea, in digitali longitudine consistentia: fastigiis petiolorum flores insident singuli, sex foliolis constantes, semidigitum

gitum longis,quadrante anguſtioribus,in mucronem obtuſum deſinentibus, & in ſtellæ radiantis modum expanſis, ad Solis ſplendorem (vt dictum eſt) lacteo candore quiduis prouocantibus interiori facie, at exteriori tales ſolum habent margines, reliqua pars eſt viridis: ſex continet ſtamina inſtar foliolorum lata in acutiſſimum deſinentia mucronem cui imponitur apiculus, ſubluteus; hæc vmbilicum circundant hexagonum, baſim habens albam, medium viride, faſtigium ſubluteum. floribus ſuccedunt capitula cachryi ſimilia. triangularia in quib. ſemen exiguum.

Aruis gaudet in quibus leue & arenoſum eſt ſolum.

Floret Aprili, & Maio.

ΜΕΛΑΝΟΜΦΑΛΗ.

Μελανομφάλη ſic vocatur quod ὄμφαλον τοῦ ἄνθους μέλανα .i. floris vmbilicum nigrum, habeat.

Forma.

Bulbus eſt candidus, multis tunicis, vt plurimum, conſtans, turbinatus, latæ baſi inſidens, & fibris è circuitu natis firmatus, inde folia hyacinthi orientalis ſimilia, è quorum medio ſurgit caulis ferè cubitalis, gracilis, foliis nudus, glaber, vireſcens, faſtigium vt in ſuperiore diuiditur in complures petiolos diuerſa quoque naſcentes origine, & baſi & ſingula habẽtes ſuppoſita folia. faſtigia flores ſuſtinent, etiam ipſius ſimiles, ſed Narciſſo magnitudine pares, ſub veſperam ſeſe claudentes, ſex foliolis conſtantes prorſus albis, odoris medicati, ſaporis coriandrum quodammodo referentis: in floris medio conſpicuus eſt vmbilicus triangularis, niger, ſplendeſcens, è cuius ambitu ſurgunt ſex ſtamina flauo apice capitata; marceſcente flore vmbilicus



M

in capitulum excreſcens, atrum colorem in viridem mutat, ſemenque tandem continet, (ſi memini) fraxinellæ ſimile, at minus aliquanto.

Iuxta Alexandriam Ægypti naſcitur, noſtris in hortis tranſlata ſemel flores & ſemen protulit, deinde periit. Floret Maio.

ΠΥΡΡΟΧΙΤΩΝ.

Πυῤῥοχίτων appellatur quod χιτῶνα .i. tunicam habeat πυῤῥὸν .i. rufam.

Forma.

Piſi magnitudinem bulbus vix excedit duabus tunicis inuolutus, exteriore quidem è rufo & purpureo nigreſcente, interiore vero candidiſſima vt & bulbi ſubſtantia, quæ eſt non ingrati ſaporis: inde folia duo ſurgunt ad palmarem altitudinem, racemoſi hyacinthi ſimilia, minora tamen, nec per longitudinem complicata, ſed lato leuiterque impreſſo exarata ſulco, præterea, ſi attentius contempleris, non vnius coloris eſſe animaduertes, ſed puluiſculo albicante aſperſo variata, horum baſis, ſi altè fuerit defixus bulbus, albeſcit pars vero lucem affectans in albido purpuraſcit. Ex alterius folii ſinu oritur interdum multa ſoboles, racematim congeſtis veluti granulis conflata. Mediam inter vtrunq; folium ducit cauliculus originem, quatuor digitis altus, anguloſus potius, quam teres, pilis exiguis ornatus, cuius faſtigium inferiori parte craſſius foliola emittit tria ortu non oppoſito ſed diuerſo prodeuntia, plana, aliis eo breuiora, quo latiora ſunt, in quorum vnius baſi aliquãdo etiam naſcuntur bulbuli, ex horum ſinu oriuntur petioli ſeſquidigitum longiores, quorum alij foliolum in baſi exteriore habent oblongum, alij tam paruum vt conſpectum ferè fugiat; alij denique nullum, ſed hoc rarum. Flos petioli faſtigio

innititur, quadrantem digiti longis foliolis ſex conſtans, exteriori facie virentibus, interiori colore aureo decoratis, quatuor tamen aut tres in vngui venas oſtentantibus vireſcentes: ſtamina ſex pallida, luteolo puluere conſperſis apicibus infixa vmbilicum ambiunt triangularem, è cuius medio erigitur ſtilus pallidi etiam coloris, ſemen obſeruare non potui.

Floret ſub Februarij finem.

Naſcitur in aruis arenoſis.

ΥΠΟΞΥΣ.

Quod folia ſint acidula ὕποξυς .i. acidulus nominatur Cluſius ornithogalum pannonicum luteo flore vocat.

Forma.

Bulbus ſuperiori non abſimilis, ſed cinerea tunica veſtitus, vnicum folium profert aciduli ſaporis, duas aut tres vncias lõgum; hoc comitatur cauliculus tenuis vncialis: faſtigio vnum aut alterum inſidet folium paruum, ſinu ſuo fouẽs petiolorum exortum flores ſuſtinentium ſtellatos, quam ſuperioris minores, totidem foliolis conſtantes, interiori facie flauis exteriori ex viridi purpuraſcentibus. ſtamina & numero & figura ſuperiori ſimilia, vt & vmbilicus, qui in lobum excreſcit triangularem, ſemine exili & ruſo plenum.

In ſiccioribus pratis Germaniſcis naſcitur.

ΛΕΥΚΟΚΥΑΝΗ.

Quod flores ex albo in cæruleum vergant colorem, λευκοκυάνη .i. albo cærulea dicitur.

Forma.

Orbicularis eſt huius bulbus candidus: ſex aut ſeptem inde ſurgunt

ſurgunt folia heliocharmi ſimilia, ſed nonnihil anguſtiora, nulla tamen candicante linea inſigniuntur. Ex his mediis ſurgit vnus aut alter caulis palmum altus, qui vt, in reliquis, heliocharmo ſimilis omnino eſſet, niſi flores proferret è ſubcæruleo albicantes.

Floret etiam eodem tempore.

ΣΤΑΧΥΩΔΕΣ *eiuſque ſpecies.*

Σταχυώδης .i. ſpicatum fuit à doctis viris nominatum, quod flores ſpicatim digeſtos haberet. Eius duas ſpecies obſeruauimus, vnam quæ generis nomen retinet, alteram vero Σκιαζοφιάδα vocandam iudicauimus.

ΣΤΑΧΥΩΔΕΣ.

Bulbus eſt multo maior quam heliocharmi, turbinata exactè forma, candidis tunicis veſtitus, folia porri ſimilia, pedem longa, digitum lata humi ſpargit. Caulem vero ſupra cubiti altitudinem erigit, (ſi lætis in aruis naſcatur, alioqui enim, vt in ſaxoſis breuior eſt) teretem, foliis nudum, hic cum medium altitudinis ſuæ excurſum attigit, floribus ornari incipit, vt in Aſphodelo ſpicatim diſpoſitis, qui pollicaribus petiolis ſubuehuntur, longóque ordine aliis alij ſuccedunt, at ſurſum ſpectant. Floris foliola ſunt heliocharmi ſimilia, anguſtiora tamen, ſed longitudine compenſantur. Semen conceptaculo triangulari includitur.

Floret Maio, & Iunio.

Naſcitur in calidioribus regionibus non ſolum in aruis verumetiam in incultis.

ΣΚΙΑΤΡΟΦΙΑΣ.

Vocatur Σκιατροφιας quod locis vmbrosis gaudeat, Σκία enim vmbra & τρέφεσθαι nutriri, quasi dicas in vmbra nutritum. Quidam existimauit Asphodelum esse Galeni, sed nec tantę est magnitudinis, nec saporis tam ingrati vt infusione egeat, & lotione quæ illum corrigant: hoc enim Galenus in Asphodelo suo requirit.

Forma.

Bulbus Narcissis paulo maior, tunicis permultis constans, exterior fusca est, interiores autem ex fusco albidæ. Folia sunt porri similia, minora tamen & per longitudinem complicata, humi sparsa, viridis coloris, sed albicanti puluisculo aspersa, ex his mediis surgit caulis bipedalis, eiusdem cum foliis coloris, teres, solidus, cuius fastigium in spicam abit, floribus multis successiuè sese explicantibus confertam, superioris similibus, sed ex viridi albescentibus interiori ex parte, exteriori vero tales solas margines habentibus, reliquum autem in viridi pallescit: sex habet stamina ex viridi pallida, quorum pars inferior est lata, superior capillaris, fastigiumque sustinent magnum buxei coloris. ambiunt hæc vmbilicum è viridi buxeum, paruum, splendidum triangularem. In mediis est stilus staminibus non longior & gracilis admodum affixus vmbilico qui tandem in vasculum seminibus nigris plenum excrescit, nec hoc prætermittendum, quod antequam flores omnes fuerint explicati, folia euanescunt.

Floret Maio. Amat opaca loca.

Temperamentum, & vires.

Heliocharmus temperamenti & humidi & calidi in primo gradu

gradu, est & viscosæ substantiæ: itaque prodest in linctu iis qui tenuis humoris in pulmonem distillatione vexantur, in quem vsum & flores veniunt. Radix in annonæ caritate famem solari potest, non cruda more churlorum Suessionensium quæ Ruellius falso putauit esse ornithogalon, sed cocta. reliquorum vires nondum mihi compertæ.

ΛΕΥΚΟΙΟΝ.


Λευκόϊον. i. viola alba duplex est, vnum bulbosum, alterũ non bulbosum, vtriusque Theophrastus meminit, & Plinius. Dioscorides posterius solum agnouit. Hoc loco de Bulboso. de altero, alibi.

ΛΕΥΚΟΙΟΝ BVLBOSVM.

Bulbosi Leucoij species vnica fuit antiquitati cognita, nostra vero ætas plures comperit, quare generis nomen Leucoium bulbosum statuimus, suis nominibus singulas species donaturi.

Species.

Quatuor Leucoij bulbosi species nobis innotuerunt Ηραγγελία, ὀλιγάνθεμον, πολυάνθεμον & τετράφυλλον.



HPAΓ-

ΗΡΑΓΓΕΛΙΑ.

Ἠραγγελία quod ἦρ.i. ver ἀγγέλλει. i. nuntiat (aduentare.) Theophraſtus & Plinius primum veris florem prodire tradiderunt, quod & res ipſa teſtatur. quidam triphyllon vocauit quod tribus tantum foliis florem conſtare putaret, cum ſex vel lippus eſſe cognoſcat. Galli *Violettes de Feurier, ou de la Chandeleur:* nonnulli *baguenaudes.*

Forma.

Bulbus proximè ad magnitudinem Narciſſini accedit veſtitus tunica ſpadici coloris, interior autem ſubſtantia eſt alba. Inde folia duo Narciſſinis etiam ſimilia, ſed alterum altero breuius, prona facie vnico per medium excurrente neruo lirata, ſupina vero per lõgitudinem complicata & in mucronem obtuſum deſinentia cuius extremum eſt album.; horum pars humo condita inuoluitur alba cuticula, palmarem altitudinem attingit, pars quæ è terra prominet, coloriſque eſt viridis ſi album puluiſculum quo aſperſa eſt deterſeris: ex his mediis ſurgit cauliculus altitudinem foliorum non ſuperans, ante florem emarcidum, craſſitudine triticei culmi, ſucculentus, non omnino teres, at aliquantulum planus, folijs nudus, deſinitque in floris inuolucrum, pollicem longum, cuius margines inſtar iunculorum teretes, non pares longitudine; quod interiacet, conflatur ex membrana tenuiſſima, pellucida & introrſum replicata, cum fiſſa eſt vt exitum præbeat petiolo, qui viridis, oblongus eſt, & teres, atque nutat infixus globulo eiuſdẽ coloris aliquomodo triangulari, vnde flos nullius, aut exigui odoris, ſex conſtans foliolis, quorum maiora imponuntur aliis, ſuntque lactei candoris, figuræ ouata oblõgioris paulo, itaque in mucronem obtuſum finiuntur interiori ex parte inſtar cochlearis caua, co-

rum latitudo eſt quadrantis digiti, latitudo tripla, aliquanto denique à ſeſe diſtantia interuallo, tria produnt interiora quæ ita diſpoſita ſunt vt calyculi inuerſi ſpeciem præ ſe ferant, aliis breuiora, ſed craſſiora, coloris albi, & ab anguſta baſi ad extremum in latius abeuntia, qua in parte inciſuram habent profundam, & exteriori in facie maculam viridem, litteræ Λ figuram exprimentem, quæ totam marginem inferiorem occuparet, niſi ora extrema, colorem album retineret; interna facies candida, venulis tamen viridibus ab vno extremo ad alterum excurrentibus eleganter inſignita. horum in medio latitant ſtamina ſex, alba, breuia quibus imponitur apex oblongus, luteus in mucronem gracilem deſinens, in mediis ſtilus eſt in vtroque extremo candidus, in medio ſubuiridis. ſuccedit capitulum oliuæ immaturæ fere ſimile, quod ſeminibus albis confertum cauli in longitudinem excreſcenti ponderis eſt tanti vt ipſum humi ſternat.

Floret ſub Februarij finem aut Martij initio.

Locis gaudet humidis, & arenoſis.

ΟΛΙΓΑΝΘΕΜΟΝ.

Quod vnicum aut alterum florem proferat hoc nominis ſortitum, ὀλιγάνθεμον ſiquidem ſignificat paucos flores ferentem plantam.

Forma.

Compluribus tunicis exteriori quidem fuſca, interioribus candidis conſtat bulbus, cuius baſis eſt denſa coma fibrarum eiuſdem coloris capillata. folia ſunt ſuperiori ſimilia, ſed multo viridiora, & aliquanto breuiora, ſæpenumero quaterna aut quina, nullo reſperſa puluiſculo. E mediis oritur cauliculus ſpithamæus, coloris è viridi palleſcentis ſtriatus, concauus, & nudus

dus

dus foliis, inuolucrum ſuſtinens ſuperioris ſimile, craſſius tamē & marginibus elatioribus conſpicuum. Ex eius baſi naſcētem pediculum gracilem breuemque dependentis floris onus deprimit ipſius extremum in globulum intumeſcit craſſiorem, & oblongiorem quam in reliquis. flos ſex conſtat foliolis niuei cādoris, ſuauis odoris, ouatæ figuræ, ſic diſpoſitis vt calathum mutantem repræſentent, tria ſiquidem latiora imponuntur reliquis, omnia in mucronem vnguiculi formam habentem deſinunt, cuius pars ſuperior in virore palleſcit, tandemq. flore declinante flauus euadit, extremum autem candicat. ſex inſunt ſtamina flori, albida quidem, ſed apice longo craſſoque, & ad aureum colorem vergente donata, hæc circumſtant ſtilo eiuſdem coloris qui priuſquam in flauum colorem deſinat, viridi obducitur macula.

Floret veris initio.


In hortis vt & ſequentia duo coluntur.

ΠΟΛΥΑΝΘΕΜΟΝ.

Hanc Leucoij ſpeciem Dodonæus Polyanthemon appoſitè vocauit quod multos flores proferat.

Forma.

Superiori bulbus eſt ſimilis folia inde naſcuntur quina, vel ſena, interdum pauciora, ab Oliganthemi foliis non differentia niſi maiora eſſent, extremumq. haberent quaſi exectum & in pallido colore languens. Ex his primum reliquis breuius baſi ſua membranea, totam plantæ partem inferiorem inuoluit, ſecundum vero ſequentium originem complectitur, ſic deinceps alia. Caulis eſt concauus, nudus, pedalis terete multo latior, & compreſſior, ac vtroque ex latere in acutam veluti aciem atte-


Πολυάνθεμον
Τριχόφυλλον

nuatur, ſuperiorique parte aliquãtulum intorquetur, faſtigium in vaginulam, vt in ſuperioribus annotauimus deſinit & petioli in globulos, ex his flores oliganthemo ſimiles, quinos aut plures, ſtamina continentur flaua, ſtiluſque lacteus, extremo tamen viridi, flori ſuccedit amplum capitulum turbinatum in quo ſemen nigrum.

Maio menſe floret.

ΤΡΙΧΟΦΥΛΛΟΝ.

Trichophyllum hanc ſpeciem appellandam iudicaui quod inſtar τριχῶν .i. capillorum. τὰ φύλλα .i. folia. ſint tenuia, Leucoium bulboſum, autumnale, tenuifolium nominant Cluſius, & Dodonæus.

Forma.

Pro exilitate plantæ bulbus eſt craſſus, tuniciſque ſucculentis & candidis, conſtat inde cauliculus palmum altus, floſculum vnum, aut alterum ſuſtinens candidum ſuperiori quodammodo ſimilem, ſed multo minorem, ſex etiam foliolis conſtantem, inodorum, ſaporiſque ingrati, poſt apertum florem exoriuntur quinque, vel pauciora folia capillaria.

Floret ſub autumnum.

Temperamentum, & vires.

De ſolius Erangeliæ temperamento & viribus nobis agendum, quid enim aliæ poſſent, propter ipſarum raritatem explorare nobis non licuit. Temperamento ergo bulbus eſt calido & ſicco ſecundi gradus initio, præterea ſubtilium partium, vomitumque mouet, quare iis quibus ventriculus craſſis & viſcidis humoribus eſt infartus magnopere prodeſt. Vrinas ciet, meſenterium obſtructionibus liberat. flores minus calidi ſunt ſed partium ſubtilitate præſtant ſudoreſque mouent; tam flores quam bulbi ad ionthos delendos, & ſcrofuloſos tumores diſcutiendos admoti conferunt, ſed bulbi floribus præſtantiores hac in re.




Verbascum

VERBASCVM.

Græcis φλόμος, φλώμος πλόμος, & φλόνος dicitur, Latinis *Verbaſcum*. Gallis *Bouillon blanc,mollaine.* Italis *Verbaſco,taſſobarbaſſo.* Germanis, *wilkraut.* Hiſpanis *Gardolobo.*

Species.

Verbaſci ſpecies quinq. obſeruauit Dioſcorides, album, nigrum, ſylueſtre, phlomida, & Thryalida, quæ etiam Phlomis lychnitis dicitur.

VERBASCVM ALBVM.

Hoc idem in fœminam & marem diuidit. nos nihil in ordine mutaturi eum ſequemur.

VERBASCVM FOEMINA.

Ei primum locum tribuit antiquitas, quod forte viribus præcelleret. ſed cur potius fœmina, quam mas? dicant alii.

Forma.

Radix pedalis longitudinis, craſſitudine pollicem æquat. Inde multa folia, palmum fere lata, duplo longiora, per margines nõnihil crenata, à baſi ad medium vſque in latius abeuntia, exinde ſenſim anguſtiora fiunt, & in mucronem finiuntur non admodum acutum. nullo præterea pediculo ſubuehuntur, ſed craſſa admodum coſta, alba, ſubeſt dorſo, vnde innumeri nerui eiuſdem coloris qui alii in alios incuruati fornicatim deſinunt. Caulis ad altitudinem ſeſquicubitalem ſeſe attollit, coloris pallidi, non teres, at angularis, interdum ramoſus, floribus à media parte ad ſummum onuſtus, quorum petioli quaterni, interdum ſeni ab vna prodeunt origine quam fouet ſinus folij

parui admodum longiuſculi, ſed anguſtiſſimi quod duabus appēdiculis caulem amplectitur. Petioli ſunt teretes, breues, craſſi, qui ad baſim ſingula habent folia tam exigua, vt niſi attente contempleris oculorum aciem effugiant. faſtigio imponitur calyculus rotundus, denticulis quinque florem ſuſtinens; hactenus tota herba molli denſaque lanugine pubeſcit. flos eſt coloris aurei, interdum niuei candoris, in latus ſpectans, cuius baſis tubuli breuis formam refert, faſtigium in quinque foliola ſemiorbicularia finditur, ex his ſuperiora differūt à reliquis quod interiori ex facie iuxta vnguem oſtentant pilos quoſdam admodum exiguos, omnia exteriori in facie lanuginem habent mollem. Continet flos quinque ſtamina è quibus altiora, tria aureo ſuperbiunt colore, bombicinaque ornantur lanugine, atque faſtigium puluiſculus ſaturatioris paulo coloris ornat, alia vero glabra ſunt coloriſque è luteo viridi apicemque in modum clauæ recuruum habent. hoc obiter notandum quod quamuis multi ab eadem origine oriantur flores, tamen diuerſis explicantur diebus.

VERBASCVM MAS.

Antiquitati ſic placuit hanc ſpeciem vocare, quæ rurſus in tres ſpecies diuiditur, in φυλλάτμητον, λευκίδα & πλατυχαεάγμον.

ΦΥΛΛΑΤΜΗΤΟΣ.

Φυλλάτμητος vocari poteſt quod inciſuris careant folia.

Forma.

Radix à ſuperiori non diſſimilis, folia etiam ſunt ſimilia, minora tamen, per margines aut nullis aut tam exilibus inciſuris ſerrata, vt conſpectum fugiant, in ſupina facie breuior eſt lanu-

go, prona autem quamplurimo in flocculos coaceruato, & albo ſordeſcit tomento, caulis ex his mediis ſurgit altior cubito, potius triangularis, quam teres, maxima etiam tomenti copia munitus, foliis ſingulis tam frequentibus vt eorum origo vix ſemidigitum à ſeſe diſtet. E foliorũ fere ſingulorum ſinu oriuntur ramuli, quorum ſuperiores priuſquam alij flores proferunt, & vt faſtigium caulis floribus ſunt onuſti, fœminæ ſimilibus, ſed minoribus & quandoque albis. ſtamina quinque continet ex quibus tria ſuperiora ſunt breuiora, omnia lanugine ſericea pubeſcunt inferiora tamen exteriori in facie glabra reliqua tam ſimilia, vt pluribus non ſit opus.

Floret Iulio.

Vt vbique fere neceſſaria, ſic & vbique fere naſcitur; præcipue in petroſis, multiſque aliis incultis.

ΛΕΥΚΙΣ.

Λϵυκὶς vocatur quod albis ſit floribus.

Forma.

A ſuperiori in hoc differt, quod neque caulis, neque folia (quæ quam ſuperioris viridiora ſunt) tomentum habent, ſed breuem lanuginem & in ambitu inciſuras non profundas, at longas, flores etiam minores multo, qui ſtamina continent parua, è viridi pallida, lanuginoſa, capitulis faſtigiata luteis. ſtilus ex his mediis prominet admodum tenuis. reliqua ſuperiori ſimilia.

ΠΛΑΤΥΧΑΡΑΓΜΟΣ.

Quod inciſuras latas habeant folia ſic vocandum iudicauimus.

Forma.

Latis & profundiſſimis inciſuris folia ſunt diſſecta reliqua ſuperiori ſunt ſimilia.

Naſcitur frequentiſſima, in agris Narbonenſibus.


Verbascum Nigrum
Ελελισφακοειδής

VERBASCVM NIGRVM.

Quod minus album ſit quam ſuperiora, Nigrum Antiquitas nominauit.

Forma.

Radix ſimilis eſt fœminæ, inde caulis ad cubitalem altitudinem exurgit, interdum altior, angularis, tomentoque obductus exili; angulos faciunt nerui elatiores rubei, quorum duo ſemper concurrunt in alteram pediculi marginem, in alteram vero vnicus excurrit. Inferiorem partem ſtipant folia palmum longiora, ſemipalmum fere lata, hormini ſylueſtris vulgo dicti ſpeciem præ ſe ferentia, leuibus crenis ſerrata: ſupina facies coloris eſt ſaturatè viridis, & rugoſa, breui, ſed denſa lanugine donata, prona vero pallidior multis lirata neruis, lanugine lõgiori pubeſcit, coloriſque eſt pallidioris, pediculo hæc adnaſcuntur, quatuor digitos longo, ſemidigitum craſſo, baſim habenti rubeſcentem vtrinque: ſupina vero ex facie in lineam longam extenditur, quæ quo altius progreditur, eo anguſtior euadit, extremæ oræ purpuraſcunt, flores ſunt fœminæ ſimiles, ſed minores, & pallidiores, nec tam denſe conferti, præterea ad vnguem foliolorum ſingulorum notulę ſunt purpureæ, ita diſpoſitæ vt pẽtagonum circuitum efficiant & pauco interiecto ſpatio, in intima fere parte aliæ circuli ſpeciem exprimunt, quæ tamen non in omnibus apparent. ſtamina floribus inſunt ad mediam vſque partem purpureo obducta tomento, reliquum vero cum ipſis apicibus coloris eſt ſature fului, circundant hęc ſtilum qui ſeſe ex illorum ſerie exerens deorſum demittitur. ſemen ſuperioribus ſimile.

Floret Iulio.

In prateolo Cœnobij ſancti Victoris Pariſienſis magna in

copia vidi, inde in hortulum meum translatum fœliciter adoleuit.

SYLVESTRE.

Dioscorides ἀγρίαν φλόμον .i. verbascum syluestre, hanc speciem vocat, quod in locis asperioribus & incultioribus obseruarit.

Huius duas species obseruaui, primam ἐλελισφακοειδῆ, alteram στυλοκαμπύλον nomino.

ΕΛΕΛΙΣΦΑΚΟΕΙΔΗΣ.

Sic nominatur quod sit saluiæ similis.

Forma.

Longa radix est, lignosa, & nigricantis coloris. Caules pedem interdum altiores, quadrangulares alba longâque lanugine pubescentes, in quibus folia sunt bina, ex aduerso nascentia, saluiæ similia, & tomēto prætento magis albicantia. in illorum fastigio sunt florum multi ordines verticillatim dispositi, quod indicare voluit Dioscorides, cùm scripsit ἔχει κύκλους περὶ ῥάβδοις. Sic enim legendum, non vt codices multi habent κλαδίας, nam quis sensus? singulis verticillis bina subsunt folia in basi rotunda, at à media parte in mucronem longum abeuntia, hæc longitudinem pollicis, latitudinem digiti æquant, prona parte longa lanugine villosa. supina vero non destituuntur, sed longe breuior est. é singulorum calyculorum basi nascuntur tria folia staminea lanugine longa & serico non minus molli ornata; calyculi pariter villosi, ac in basi angusti, deinde quo altius progrediuntur eò latiores fiunt: in his flores Lamij similes, sed longe maiores, aureo colore nitentes, cucullo stamina quatuor continentes imparis magnitudinis, apice purpureo sed exiguo capita-

capitata : circundant hæc ſtilum, qui partem inferiorem longe craſſiorem habet, ſuperior autem vix eſt conſpicua. Odorem ſaluiæ & ſaporem tota planta refert aliquantulum.

Floret Iunio & Iulio.

Naſcitur in aridis calidiorum prouinciarum locis, vt Narbonenſis Galliæ.

ΣΤΥΛΟΚΑΜΠΥΛΟΣ.

Quod ſtylus ſit reflexus Στυλοκαμπύλον vocaui.

Forma.

Caules ſunt cubitales, quorum faſtigio flores inſident ſuperiori ſimiles, ſed foliola ſubſunt calyculis breuiori lanugine pubeſcentia, in floribus ſtamina non pauciora, ſed apicibus luteis faſtigiata, quæ comitantur ſtylum in clauiculæ modum reflexum. folia terna quæ calyculis ſubſunt, prona quidem parte lanuginem habent, ſed non longum; ſupina vero nullum. Reliqua ſuperiori ſimilia, ſed maiora multò.

Temperamentum, & vires.

Calida eſt radix initio primi gradus & exſiccat ſecundo. Folia vero præterea digerendi ac detergendi vim habent. Itaque tam radix, quam folia vlceribus conferunt dyſentericis : ſi in craſſioribus inteſtinis fuerit vlcus magnopere prodeſt illorum infuſum decoctum cum vlmi cortice interiori, ſi tenuioribus decoctum cum elatine, aut hyperico aſſumptum. folia decocta aut in tegula candenti calefacta oculorum tumoribus, œdematiſque proſunt. quod expertus ſum iamdiu, cum puerulus ad ripam Ligeris Tithymali Cypariſſiæ plantas euellerem, ſuccoque delibutas manus oculis ob appulſum arenarum admouiſſem. Dentium dolorem ab humoris acris exigua diſtillatione ſedāt

ſi colluantur eorum decocto. Radicis ſolius decoctum aut ex eadem vino affuſo contuſa expreſſus ſuccus ante febris intermittentis paroxyſmum aſſumptus ab ea liberat. ſi humor eam incendens ſtagnetur in vētriculo, ſed ter aut quater hoc eſt iterandum. Folia hæmorrhoïdum non modo ſedant dolores, ſed etiam ipſas reprimunt. Eorum ſuccus infuſus vngulæ equorum quam clauus oblæſerit, cito noxam tollit. Denique cum corticis ſambuci, & iuniperi, aut eiuſdem baccarum pari pondere decoctum, non ſolum fotus modo adhibitum, ſed & bis die aſſumptum viperarum reliquorumque ſerpentium morſus curare certiſſimum eſt. Flores non aſpernendi, ſummam enim habent vim leniendi præter eas quas cum tota planta facultates obtinent. podagricos dolores ſolantur, malignoſque humores compeſcunt. Ex illis fit oleum ad eoſdem vſus præſtātiſſimum.

ΦΛΟΜΙΣ.

Tres ſunt Phlomides, duæ, vt inquit Dioſcorides, hirſutæ, humiles, rotunda habentes folia, & Phlomis lychnitis, Thryalis etiam dicta, folia tria, aut quatuor habens, atque etiam plura, craſſa, pinguia, hirſuta ad elychnia vtilis, ſed quænam ſint mihi nondum compertum.

ΦΛΟΜΙΣΚΟΣ.

Quod videantur Verbaſco congeneres, ab illo non ſeiungendas duxi has plantas: quod præterea antiquis incognitæ fuerint, nomen illarum generi aſſignauimus ἀπὸ τοῦ φλόμου deductum. Quidam Dodecatheon Plinij eſſe putant, ſed deſideratur radix lutea. Nonnulli paralyticam nominant, fortaſſe nimis temere. alij primulam veris non abſque ratione.

Species

Species.

Diuiditur φλομίσκος in σκιαδιοῦχον & ἀσκιάδιον.

ΣΚΙΑΔΙΟΥΧΟΣ.

Σκιαδιοῦχος vocatur hæc ſpecies quod vmbellas gerat, ἀπὸ τοῦ σκιάδιον ἔχειν .i. vmbellam habere.

Species.

Huius item duæ ſunt ſpecies χρυσάνθης, & διασχόπιος.

ΧΡΥΣΑΝΘΗΣ.

Χρυσάνθης dicitur quod aureo colore niteant flores.

Species.

Duas huius obſeruaui ſpecies, prima eſt Μακρόστυλος, αἰώστημων altera.

ΜΑΚΡΟΣΤΥΛΟΣ.

Sic vocatur, quod longus ſit ſtylus.

Forma.

Huius radix mediocriter craſſa, ceſpitibus ſubſternitur, coloris interdum ſubrufi, trium aut quatuor digitorum longitudinis, multis tuberculis aſperas, longas demum craſſaſque & candidas fibras demittit: ex illius capite oriuntur folia betonicæ quodammodo ſimilia, ſed maiora, quæ pediculo craſſo, triangulari, duos pollices longo, & ad baſim nonnihil rubenti ſubuehuntur, nuper nata dorſum verſus vtroque ex latere per longitudinem replicantur, quod reliquis commune, cum vero adoleuerũt eorum baſis latitudinem pollicis excedit, inde ſen-

ſim anguſtiora facta in orbicularem extremitatem finiuntur, vbi duorum pollicum longitudinem fuerint aſſequuta, nullis per ambitum inciſuris crenata, ſed aliquibus, tanquam vndantibus plicis criſpata; ſupina facies eſt rugis exarata, & viridis; prona vero aſpera, ob neruorum diſcurſum, coloriſque in pallido virentis. Caulis è foliorum medio attollitur ad ſemipedalem altitudinem, teres, quàm culmus tritici non craſſior, cauus, coloris è pallido viridis, molli pubeſcens lanugine. faſtigio, nonnunquam etiam inferiori nodo. inſidet vmbella multis petiolis conſtans imparis longitudinis, & in eandem omnes partem ſpectantibus, quorum longiſſimi vix ſuperant duorum digitorum longitudinem, baſis fouetur folio longo, ſed admodum anguſto, ſuſtinent ſinguli alabaſtrum quinquangulare, tenue, nonnulla veſtitum lanugine coloris eiuſdem cum petiolis, inferiori parte anguſtum, ſed ita paulatim dilatatur, vt quid caule quadruplo craſſius capere poſſit, nec ſemidigitalem excedit longitudinem, faſtigium quinque ornatur déticulis in acutum mucronem deſinentibus. Inde flos exigui aut nullius odoris, infundibuli formam referens, cuius tubulus digitalis fere longitudinis, petiolo craſſior duplo, ima pars eſt candida, & vndulis quodammodo criſpa, excipulus eſt paruus, & in quinque foliola diuiditur, quorum ſingula in extremo non profundam habent inciſuram, maculamque in imo longam, & ſaturatioris coloris. ſtamina oriuntur è medio tubulo tam breuia vt niſi diſrupto flore videre non poſſis, illorum capitula ſunt è cinereo lutea; ſtylus longitudine tubulum æquat, & in baſi eſt coloris viridis, in faſtigio pallidi.

ΑΝΩΣΤΗΜΩΝ.

Quod à ſuperiori tubuli parte naſcantur ſtamina iſtud nominis adepta eſt hæc ſpecies.

Forma.

Forma.

Non tantum origine ſtaminum ſed & ſtyli tanta breuitate vt ſeſe nunquam è tubulo exerat, differt à macroſtylo. reliqua prorſus ſimilia. Minutas iſtas perſequi differentias non eſt vanum; Deus ſiquidem & natura non fruſtra diſtinxêre. Quid in viribus differant aliis perquirendum relinquo: non omnia poſſumus omnes.

Pratis aliiſque incultis gaudent.

ΔΙΑΣΚΟΠΙΟΣ.

Sic vocandam hanc cenſui ſpeciem quod huc & illuc floribus diffuſis in omnem partem σκοπεῖν .i. reſpicere dici poſſit. Diuiditur in tres ſpecies in ἐρυθρόζωνον, ἄζωστον, & αἰθοστενάνθη.

ΕΡΥΘΡΟΖΩΝΟΣ.

Sic dicitur quod in faſtigio, qua parte petioli oriuntur, tanquam zonam habeat rubram.

Forma.

Corpus radicis eſt aliquanto rubidior ſuperiori: caulis duplo craſſior. folia ſunt anguſta in baſi, deinde vbi paulatim latiora euaſerunt, deſinunt in extremum fere orbiculare, per margines nonnihil ſerrata ſunt, ſupina facies è pallido vireſcit, prona vero è virore palleſcit. Caulis ab illorum medio exeritur, quam macroſtyli duplo craſſior, longior paulo, nonnihil cauus, lanuginoſus, eius faſtigium abit in multos petiolos, multaque folia exigua, quorum omnium baſis rubra zonæ ſpeciem refert. Flores quam ſuperiorum latiores, coloris è luteo pallidi, in omnes partes diſperſi, neq. omnes aut deorſum aut in latus


Ερυθρόζωνος flore simpl
Ερυθρόζωνος flore Duplici

ſpectant,ſed & ſurſum quidam ex illis tendunt.ſtamina ex intima tubuli parte oriuntur tam breuia vt non niſi diſrupto tubulo conſpiciantur.ſtilus vero extra ipſum prominet.reliqua ſunt Chryſanthe ſimilia. Iam vulgaris eſt flore multiplici, quæ multos flores alios elegantia non tantum coloris amœnitate, ſed etiam odoris ſuauitate prouocat.

ΑΖΩΣΤΟΣ.

Sic vocatur quod nulla in origine petiolorum ornetur zona.

Forma.

Folia ſunt quam ſuperioris minora, magis in extremo rotunda, caulis & flores etiam minores, coloris pallidioris. ſtamina ſunt admodum parua, ſed à ſummo tubulo ducunt originem, apicéſque oſtentant luteos & iunctos. ſtylus eſt breuiſſimus, qui nunquam libero fruitur aëre. hoc inſuper notandum, non ſolum cauliculos, ſed & petiolos ab radice proferre quibus petiolis inſidet flos ab eo qui in vmbella naſcitur non diſſimilis, cætera ſuperiori ſimilia.

ΑΝΘΟΣΕΝΑΝΘΗΣ.

A ſuperiori hac ſolum in re differt quod flores producat alterum alteri innatum, quæ eſt ratio nominis, ſed hoc ne fiat natura, an cultu nondum mihi compertum ingenue fateor.


Βραχυστηφ. fl. simp.
Βραχυστεφώνιος. flore dup.
Φυλλάνθη

ΑΣΚΙΑΔΙΟΣ.

Quod nullam vmbellam producat, ſic fuit nominata, duas huius ſpecies obſeruaui Βραχυσιφώνιον, & φυλλαίθη.

ΒΡΑΧΥΣΙΦΩΝΙΟΣ.

Quod σιφὼν floris .i. tubulus ſit βραχὺς .i. breuis ſic nominatur.

Forma.

Radices ſunt aliorum forma ſimiles, folia diaſcopij ſimilia, ſed longiora, pallidiora, coſtamque habentia acutiorem, extremum vero deſinit in oualem figuram, margines non tantum eroſæ, ſed etiam nonnihil criſpatæ apparent. prona facies multa lanugine pubeſcit, ſupina glabra eſt. pediculus breuis & rubeſcens. E mediis foliis oriuntur multi petioli teretes, lanugino ſi, palmum longi, quorum ſinguli florem ſuſtinent erythrozono ſimilem ſed pallidiorem interdum candidam habetque breuem non modo tubulum ſed & in tubulo ceruicem: ab hac originem ducunt quinque aut ſex ſtamina breuia, ſed apicibus longis inſignia coloriſque è luteo pallydi. ſtylus eſt breuis vixq; originem ſtaminum attingit. alabaſtrum, flores continens eſt quam aliorum anguſtius, in cæteris nil differt tota planta. eſt huius ſpeciei flore duplici ſuauem ſpirante odorem.

ΦΥΛΛΑΝΘΗ.

Vocatur Phyllanthe quod flores ſint inſtar foliorū herbacei, in eoque differt à ſuperiore. errore Naturæ id factū putaſſem, vt in multis obſeruare memini, vtpote in aquilegia, ſtaphyſagria, pſeudomelanthio &c. ſed decēnium alui in hortulo ſine immu-

tatione, quæque ab illa propagatæ fuerunt eandem prorſus formam retinuere.

Florent omnes Maio.

Vires.

Temperamento ſunt ſicco in ſecũdo gradu, & caloris quam minimum obtinent: Itaque ne in primo quidem gradu auſim collocare, ergo febribus putridis confert tota planta, in qua præcipuas vires obtinet flos, commendant quidam ad renum dolores & calculum veſicæ, nec meam expectationem fefellit, vt in paralyticis curandis, neruos enim ab hac tam parum ſolatii conſequutos ſæpius comperi, quam vt hac poſtea in illorum affectibus vti audeam, niſi ratione ſiccitatis: ſane cordi poſſunt roboris non parum afflare: à quibuſdam accepi radices dentibus cauis immiſſas, eos thuris modo vita communi priuare, quod nondum expertus ſum.

ΔΙΟΥΡΗΤΙΚΗ.

Quam Diureticem vocamus propter inſignem vim ducendarum vrinarum, quidam Aliſma ſiue Damaſonium Dioſcoridis eſſe putarunt, ſed θυρσοειδὴς καυλὸς, ἄνθη λεπτὰ, λευκὰ ὑπωχρα, ὑδρηλὰ φιλεῖ χωρία .i. ſimilis thyrſo caulis, flores tenues, albi, ſubpallidi, aquoſa amat loca; ſunt notæ quæ nunquam huic conueniant, quare Chryſanthemon latifolium quidam nominare maluit, ſed à chryſanthemi genere tam aliena eſt, vt illi congener ſtatui non poſſit: nec dabitur vnquam vt omnes noſtræ ætati cognitæ plantæ ad genera, quæ ab antiquis deſcripta fuerunt, poſſint reuocari. Cur Nardus Celtica altera, aut ptarmica vocetur ab aliquibus non video. nec plantaginis, vel calthæ ſpecies iudicanda.


Διουριλική

Forma.

In multas & crassas fibras, subnigricantes, saporem abiegnæ, terebinthinæ referentes radix diuiditur, vnde folia sunt plantagini villosę similia, sed acuminatiora, longa lanugine supina facie pubescentia, & in albicanti colore viridia; at prona, si modo infimo in caule sint sita, glabra, nam superiora vtrinque lanuginosa. Caulis pedalis, teres, paucis munitur foliis iisque ex aduerso nascentibus, interdum opposito carentibus sed quoquomodo se res habeat, vix senarium numerum excedūt, ex horum foliorum sinu non raro surgunt ramuli, quorum, sicut & caulis fastigio insidēt singula capitula duobus ordinibus squammarum paris longitudinis constantia, sed aliæ aliis impositæ sunt donec flore perfecto externæ se per longitudinem complicantes, alias prodant, lanugineque pubescunt, ruborem tandem contrahentes: inde flores aurei Doronici magnitudine & figura foliolis, vaginulisque constantes; foliola sunt in ambitu disposita, tribus neruis insignioribus exarata, totidemque incisuris ad extremū diuisa, è quorum vngui complicato longisque pilis villoso nascuntur stamina singula aurei etiam coloris in duas partes repādas fissa, hæc discum ambiunt vaginulis confertum paruis, quæ suprema parte denticulis quinque serratæ sunt, vnde stamina aliis similia exeruntur. semina succedunt oblonga, tenuia, nigra, & papposa quæ vbi matura sunt à vento huc illuc feruntur.

Floret in altorum montium iugis mense Iulio, & alibi mense Maio.

Non solum in altis montibus, sed & in planis sese dat conspicuam, & in culto gaudet solo.

Tempetamento est in tertio gradu calido & sicco, cum magna partium subtilitate permeat, itaque vel minimas venarum fibras, & ab obstructione liberat, vrinasque potenter mouet, quod & mihi compertum, & à doctissimo Pena annotatum.

FRA-


Fraxinella

FRAXINELLA.

Antiquis incognita planta Græce dici poſſe χαμαιμελίαν quidam iudicant auctore Dodonæo. propter eam quam cum fraxino ſimilitudinem habent folia, quare & fraxinella vulgo fuit dicta. Gallice *freſnete*. Tragium Dioſcoridis primum putarunt aliqui, ſed vbi ὀπὸς κομμει παραπλήσιος, liquor gommi ſimilis? vbi fructus lentiſco ſimilis? Adde quod in Creta fuit à Bellonio Tragium obſeruatum flore luteo, circa fluenta naſcens, quod Fraxinellæ à tragio differentias duas oſtendit. Illius enim flos aut purpureus, aut candidus; natales prætereà in montibus. Diptamum album barbari vocant inepte.

Forma.

Ab vno capite longè latéque ſparguntur radices candidæ & carnoſæ, amari ſaporis cum obſcura acrimonia, inde multi ſurgunt caules cubiti altitudinem ſuperantes interdum, teretes, lanuginoſi, rubeſcentes ima parte, quæ ſtipatur foliis ſaponariæ ſimilibus, non binis ex aduerſo prodeuntibus, ſed ſingulis, & incerto diſpoſitis ordine. media pars caulis lõge diſſimilia profert, eandem nihilominus ſeriem obſeruantia, multa vni coſtæ lanuginoſæ, bina oppoſito ſitu adnaſcentia, præter vltimum quod ordinem claudit, vndenarium, aut duodenarium raro excedentia numerum, nam quamuis coſta in vnicum deſinat non ſemper impar eſt numerus: fit enim plerunque vt deficiat alterum ex ordine vltimo, quod cum accidit, poſtremum ea parte reſcinditur, qua viduum laterale folium reſpicit, illa ſunt fraxino ſimilia, maiora, in ambitu denticulis ſerrata, vtrinque glabra, viridia. Tertia pars caulis vacua foliis, ruboremque nacta ſaturatiorem floribus ſuperbit ordine longo ſeſe explicantibus; licet enim bini ab vno pediculo in duos petiolos diuiſo exoriantur,

tur, non tamen ambobus idem florendi tempus concessum est. Itaque altero flaccescente, alter prouehitur pedicellis, nec non & petiolis folium subest paruum, acutum prona facie colorem & lanuginem caulis similem obtinens, talia etiam petiolis adnascuntur. Desinunt hi in alabastrum quinque foliis exilibus saturati ruboris florem continens totidem foliolis constãtem, quæ longis vnguibus & angustis subuehuntur, exin oualem figuram affectantia, in mucronem quodammodo complicatum desinunt, cum latitudinem semidigitalem, duploque maiorem longitudinem attigerunt; coloris denique sunt rosei, sed venis huc illuc discurrentibus variata, & exteriori in parte crassiusculo tanquam puluere, sature etiam purpureo passim asperso elegãtia, hoc vero sunt ordine disposita cùm flos apertus est vt tria sursum spectent, duo autem obliquè deorsum, quæ progressu temporis ita sursum adducuntur, vt inferius spatium relinquãt vacuum, quod non careret deformitate, nisi decem staminum eò deflectentium deinde repandorum succẽturiatu repleretur; hæc sunt coloris rosei longitudinis pollicaris, crassitudinis mediocris, nec tantum è viridi nigrescentibus & quadrangularibus apicibus capitata, sed etiam ad extremum tuberculis exilibus quam plurimis colore purpureo nitentibus confusóque ordine dispositis decora. stilus breuis est, & purpureus in staminibus mediis, aliquatenus repandus. Floribus succedunt seminis conceptacula quina, aspera, scabra, subrubentia, suo ventre contigua, in mucronem acutum, & duriusculum desinentia, quibus semen continetur nigrum, splendens, rotundoque oblongius tota planta hirci refert odorem.

Floret Iunio.

Amat loca montosa, proque natalium varietate aliquid in floris & foliorum colore immutatur, atque etiam in totius plantæ magnitudine, alibi enim dilutiore, alibi saturatiore flo-

res hic, quam illic nigriore folio. quibuſdam in locis pumilior tota planta quam in aliis. Candido flore mihi illuſit in monte qui vulgo ventoſus dicitur, non procul ab Auenione vrbe.

Temperamentum, & vires.

Temperamenti eſt ſicci & calidi in ſecundo gradu digerentis; itaque eſt facultatis aperientis & attenuantis; quare obſtructiones tollit; vrinas, menſes mouet: præterea vim alexiteriam habet non mediocrem.

BVGVLA.

Vt Bugulæ nomen à recentioribus doctis receptum Græce exprimeretur Βουγόμιον appellandam iudicaui. Antiquis enim fuit incognita, & ſi non deſint qui ad plantas ab illis deſcriptas reuocare conati ſunt, ſcilicet ad Chamæciſſum Plinij aut ad eiuſdem anonymon: ſed hoc quicunque probabit, erit mihi magnus Apollo. Itaque in vulgari nomine potius conſiſtendum cenſeo. Galli, *Bugle.* Germani *Guntzel*, & *Goldegantzel.* Belgæ, *Senegroen*, & *Ingroen.*

Duas obſeruaui ſpecies, primam διασοκαυλίδα, ſecundam φυλλοχνοίδα.

ΔΙΣΣΟΚΑΥΛΙΣ.

Diſſocaulidem nomino quod καυλοὺς, caules, διασοὺς duplices i. duorum generum producat.

Forma.

Multa radicis fibroſæ caput coronant folia, betæ ſimilia, ſed longe minora, vtpote latitudinem pollicis non ſuperantia, ab anguſto in latius progredientia, tãdemque in obtuſum mucronem

nem desinentia, ad margines circumrosa, glabra, viridia, non-nunquam in colorem rubeum declinantia: ex illis mediis nascuntur tanquam cauliculi rubentes, glabri. non omnino teretes, foliis ex interuallo binis ornati, nouis radicibus è geniculis, nascentibus sese propagantes: producitur & cauliculus palmum altus, quadrangularis, interdum subrubeus multa pubescens lanugine, foliis etiam vestitus ex interuallo binis non nihil lanuginosis. multis floribus verticillatim dispositis decorus, hi sunt Chamædryos similes, sed minores, cærulei, quatuor staminibus cuculli defectum supplentes, ex quibus duo sunt reliquis breuiora. singulis verticillis bina subsunt folia ex rubro cæruleum colorem affectantia.

ΦΥΛΛΟΧΝΟΙΣ.

Phyllochnoidem voco hanc speciem quod φύλλα .i. folia, habeat χνοώδη .i. lanuginosa.

Forma.

Radicis corpus rubescit, fibræ albescunt, & lõgæ sunt caules inde eriguntur spithamæi, distincti geniculis, in basi fere teretes ad secundum vsque geniculum, & rubentes ad tertium aut quartum, à secundo vero quadratos dixeris, nonnihil tamen obtortos, præterea longis pilis hispidi sunt & caui. In primis geniculis folia sunt pollicem longa, digitum fere lata, per margines paucis exiguisque denticulis serrata, dissocaulidis similia, at quæ ex tertio & quarto geniculo nascuntur, duplo maiora, foliis verbenæ inferioribus similia, lõgis quidem denticulis, sed non tanta incisũ rarũ frequentia, & profunditate conformatis serrata, è pallido viridia, omnia bina ex aduerso sita; geniculo quarto adnascentia folia fouere incipiunt florũ exortũ. hi

verticillatim ſunt diſpoſiti, hiſpidis calyculis inſidẽtes, chamædryos ſimiles figura, ſed colore cæruleo ditati, tamen in violaceo nigricantibus venulis tribus inſignitur foliolum inferius, lateralia vero duo vnica tantum, eaque dilutiori: à quarto geniculo folia, quæ bina verticillis ſubſunt, quò altiora, eò minora & triangularia; medius angulus multo longior. folioli ſuperioris decurtationem tegunt quatuor ſtamina è violaceo nigricantia, ex quibus duo ſuperiora ſunt reliquis longiora, ſed apiculis luteis omnia faſtigiantur.

Naſcitur in arenoſis.

Floret Maio, & Iunio.

Temperamentum.

Temperamenti eſt in primo gradu calidi, ſicci in ſecundi medio, non ſine aſtrictione; itaque prodeſt diſruptis partibus, conuulſis, aut cæſis, ſiue aſſumpta, ſi calamitas internis partibus acciderit, ſiue admota ſi externis. quare apud noſtros prædicatur

Qui ha du bugle & du ſanicle

Fait aux Chirurgiens la nicle .i. non eget Chirurgo ille cui bugulæ & ſaniculæ copia. Ad obſtructiones hepatis multi commendant, ſed quoniam aliæ plantæ ad id aptiores mihi ſuppetunt, nunquam vſus fui.

BRAS-


Brassica Alba

BRASSICA.

Hortum ingreſſuros caulium proceritate, foliorum granditate, frequentiaque, & antiquorum commẽdatione ad ſui contemplationem primæ nos alliciunt Braſſicæ, & in olerum genere principatum ſibi arrogant, tum amplitudine familiæ, cum vtilitatis magnitudine: Nam congeneres multas habent plantas, Napum, Rapum, Sinapi, Raphanum, & Erucam, quarum plurimæ ſunt ſpecies vt ſuo loco explicaturi ſumus. Congeneres appello differentiæ notis externis & internis toti eique ſoli generi communibus inſignitas: internæ ex virium aliqua ſimilitudine æſtimandæ, externæ ex forma, ſeu facie. Hæ autem notæ in Braſſicarum familia obſeruantur ſimul concurrentes, calyces ſcilicet in quatuor partes antrorſum nonnihil complicatas fiſſi: totidem foliolis conſtantes flores, qui ſex ſtamina continent, ex quibus duo reliquis breuiora: hæc dices & Leucoiis & Thlaſpi communia: verum; nam & hæc ſunt erucæ ſpecies. Braſſicæ autem ab illis diſtinguuntur, quod caule, ſi acceſſerit cultura, craſſo medullaque pleno aſſurgant, quod glabræ ſint. Non enim nos morantur qui dicunt Lampſanam Braſſicæ ſilueſtris ſpeciem hirſutioribus foliis, ſi quidem, etiamſi antiquis multum cenſeamus tribuendum, tamen oſcitanter dicta, vel minus ſagaciter explorata pro ratis non habenda iudicamus: oſtendemus ſuo loco illam potius Raphani ſylueſtris ſpeciem. Quanta denique vtilitas ex Braſſicis percipiatur ſequentia docebunt.

Nomina.

Atticis antiquioribus Ῥάφανος dicebatur, quod Plinius non animaduertens ad Raphanum multa trãſtulit, quæ Theophraſtus περὶ τοῦ ῥαφανοῦ, .i. de braſſica dixerat: Bœotis γαστὴρ. aliis Græcis

Græcis Κράμβη. Latinis *Braßica*, & *Caulis*. Gallis *Chou*. Italis, *Caualo*. Germanis *Koel*. Belgis *Koolen*. Hiſpanis *Colhes*.

Species.

Theophraſtus ſpecies Braſſicæ tres conſtituit οὐλόφυλλον, λειόφυλλον. & ἀγρίαν. Totidem Cato commemorat: Primam grandem, extentis foliis, caule magno: alteram criſpam: tertiam caulibus teneram (fortaſſe melius breuem) & acerrimam. Plinius his plura recenſet Tritianam, Cumanam, Pompeianam, Brutianam, Sabellicam, & Lacuturriam, meminit & Syluestris. Nos vero decem obſeruauimus, albam, rubram, vndulatam, apianam, ſiue criſpam, caulifloram, rapitiam, aſparagodem, ſabellicam, marinam, & ſpinoſam. Nam quibus plantis mangonium differentiam inducit aliquam, eas non iudico in ſpeciem aliam deſilire. Exempli gratia, ſi mangonio braſſica euadat capitata, ſi ex ſylueſtri, hortenſis; ideone ſpecierum numerus augebitur? Nec in Braſſicarum cenſu habenda eſt ea, quam Cluſius plantarum obſeruator ſagaciſſimus ſylueſtrem vocat, ſiquidem ſpecificæ illam notæ alio reuocandam poſtulant.

ALBA.

Alba dicitur quod neruos per folium excurrentes albos habeat. Theophraſtus λειόφυλλον. Plinius caulodem etiam vocari teſtatur. Noſtri *Chou blanc*.

Forma.

Braſſica hortenſis alba in ſylueſtrē degenerat vt compertum habemus, quapropter ex hac factam illam non dubium, quid enim non poteſt cultus? Itaque de ſylueſtri nobis agendum

R

quam hactenus vnicam obſeruaui hæc radicem napo ſimilem interdum pede lõgam demittit, cuius in capite multi foliorum exortus, quæ napo quoque ſimilia ſunt, at minora, glabra, rugoſa, multis diſcurrentibus neruis albicantibus inſignita, craſſo pediculo etiam glabro ſubuecta, multis appendicibus foliaceis donato, imparis magnitudinis, nec ſemper ex aduerſo diſpoſitis, exceptis quæ medium obtinent locum inter infimas & folium, illæ præterea ſunt reliquis latiores, & longiores. Caules ex illis mediis ſurgunt ad pedalem altitudinem, tenues, eaque parte qua pediculi foliorum (quæ in illis frequētia ſunt) originem ducunt, binis, vt plurimum albicantibus ſpinis, capillari tenuitate, & longis exaſperantur; faſtigium, flores ordine longo, alij alijs ſuccedentes ornant tenuibus, at longis pediculis ſubuecti, calyculis impoſiti in quatuor partes antrorſum, vt dictum eſt, nonnihil complicatas fiſſi, quibus flos imponitur quatuor foliolis conſtans, paruis, lutei coloris. ſex continet ſtamina pallida, luteolis apicibus capitata, ex quibus duo reliquis aliquanto minora, his ſuccedunt ſiliqua in quibus ſemen nigrum & rotũdum. Vt ſtrigoſa eſt, & humilis ſylueſtris, ſic hortenſis caulium proceritate, foliorũ amplitudine & læuitate ſuperbit: illi enim altitudinem hominis attingunt, craſſitudinem fere brachialem æquant, hæc vero tam longa, lataque ſunt vt herbæ nulli ceſſura videantur (quod poſthac dicetur) flores vero etiam alba profert albos.

RVBRA.

Galenus χλωρὸν vocari auctor eſt, quidam Cumanam Plinij eſſe arbitrantur, alij Brutianam, at tantas componere lites, quis potis! noſtri *Chous rouges*, vocant.

Forma.

Rubræ folia ſunt in viridi fuſca neruis rubeſcentibus, vt & caulis,

caulis, firmata, floribus luteis, albos videre non memini: reliqua ſunt albæ ſimilia.

CRISPA.

Græcis Σελινοισία, cuius nominis rationem reddit Eudemus apud Athenæum lib. IX. τὴν ὀνομασίαν ἔχει (inquit) διὰ τὴν ὐλότητα ἐμφερὴς, γὰρ ἐστι σελίνῳ, καὶ κτ̓ ἄλλην πύκνωσιν. Vnde colligitur hanc eſſe quam Theophraſtus ὐλόφυλλον appellat; accedit & Plinianæ auctoritatis momentum: Criſpam, inquit, quam ſelinada vocarunt à ſimilitudine apij foliorum &c. Latinis ergo criſpa, & apiana.

Forma.

Habet folia in tenuiſſimas partes diſſecta, vt apium: in reliquis eſt albæ ſimilis.

VNDVLATA.

Vndulatam appello, quod foliorum margines vndulatas habeat, in quibus & inciſuræ nonnullæ leues conſpiciuntur. In reliquis non differt à ſuperioribus, nunquam tamen ad tantam altitudinem prouehitur. Noſtri *Chou frezé*.

CAVLIFLORAM.

Pompeianam Plinij hanc, non ſine ratione, putant docti nominandam. Recentiores, caulifl oram appellant. Noſtri *Chou fleur*. Itali, *Cauli fiori*.

Forma.

Albæ ſimilia omnino folia eſſent niſi ad cinereum colorem vergerent, è quibus mediis innumeri cauliculi tanquam in globulum denſe ſtipantur, teneri, & delicatiſſimorum pala-

to grati, in his cauliculis flos naſcitur, ſi per catillones liceat.

RAPITIA.

Quam caulorapam recentiores, Cato, rapitiam dixit. nonnulli braſſicam γογγυλώδη, Galli, *Chou raue.* Hanc è ſabellica fieri exiſtimant multi, nec à ratione aliena videtur eorum ſententia.

Forma.

In hoc ab alba differt quod caulis quidem breuior in magnum, rotundum, & carnoſum caput rapo ſimile protuberat, craſſioribuſque pediculis folia ſubuehuntur.

ASPARAGODES.

Sic vocatur quod flores in foliis tanquam aſparagos producat.

Forma.

Folia ſunt vndulatæ braſſicæ ſimilia, quandoque plana, at qualiacunque ſint in quibuſdam coſta media, diſcurrenteſque nerui ſunt albi, in aliis rubeſcunt. In mediis vero foliis cauliculi breues ſurgunt, florem & ſemen producturi, quæ cymarum inſtar in cupediis habentur, in cæteris albæ ſimilis, niſi longe humilior eſſet.

SABEL-


Brassica Sabellica


Brass.
Cauliflora

SABELLICA.

Græcis incognita, Latinis, *Sabellica.* Recentioribus *Sabauda.* Gallis, *Chou de Pancalier*, quod inde petantur.

Forma.

Albæ cedit proceritate caulis, & foliorum magnitudine, ſed elegantia vincit: coloris enim ſunt ſaturè viridis, & criſpata ſcabritie, in tantum vndoſa, vt ne latum quidem vnguem quid in illis conſpicias planum, in cæteris nil diſcriminis animaduerti.

MARINA.

Sic vocatur quod maritimis gaudeat locis ex recentioribus μονόσπερμον vocarunt quidam, totoque genere differt à braſſica marina Dioſcoridis, quæ, pace illius dixerim, à braſſicarum familia tam aliena eſt, vt illo nomine digna minime videatur. Itaque in alium locum referendam iudicamus.

Forma.

Altitudine braſſicis hortenſibus cedit, ſed folia profert duplo craſſiora, per margines non tantum inciſuris profundis ſerrata, ſed & vndulata. Caulis faſtigium in pediculos ita diſtribuitur, vt vmbellam efficiant. flores in albidum palleſcunt. His ſuccedunt ſiliquæ non longæ, at craſſiores, quam in reliquis, vt pote vnicum ſemen continentes, ſed triplo craſſiores.

SPINOSA.

Spinoſa, quod ſpinas gerat fuit appellata; à noſtris *Chou eſpineux* dicitur.

Forma.

Forma.

Non magnopere differret ab aliis, niſi caulis faſtigium aliquot ſpinis longis non tamen duris horreret.

Naſcuntur vbique in hortis, ſed pro ratione ſoli, aut lætiores, aut ſtrigoſiores. Omnes excepta Pompeiana, & Sabellica, aërem inficiunt tetro halitu. Gal. φανερῶς ὁ πέριξ ἀὴρ μοχθηρὸς ἀπὸ τῆς (κράμβης κάρεως καὶ πύξου) ὁμιλίας.

Cultus.

Non ſolum ſemine, ſed etiam auulſo ſurculo propagantur, illud autem fit toto anno, quoniam & toto anno ſecantur, vtiliſſime tamen æquinoctio autumni, ſi folia in fructu ſint futura, & cum quinque produxerint transferendæ: ſin aliquis cymarum cauſa voluerit ſerere, illud tempus eligat, quo ſementeſcunt adultæ: cymam enim ſecum ferunt ex humo prodeuntes. Vt vero tranſlatæ maiorem aſſequantur amplitudinē, aqua ſubſalſa irrigandas docet antiquitas; Nos autem quibus ſal tāti venditur, aqua dulci cogimur irrorare: at in ſcrobe depactæ dum ſe attollunt, terram circa imum caulem in dies exaggerendo, donec humo æquata ſit, accumulamus, ita ne plus quam cacumen emineat, atque vt ab inferiori parte caulis enatæ fibræ luxuriem plantæ promoueant: tam proceras hac arte braſſicas vidi, earumque folia tam grandia, vt vna me tueri ab imbre largo potuerit. alter in alia luxuriem alba & rubra ſeſe effundit; atque Sabellicæ intra ſeſquipedis altitudinem conſiſtunt, ſed foliis innumeris, in orbem porrectis & arctiſſime ſtipatis capitatæ euadunt: idque fit tum ſoli humidi, pinguis, & leuis vbertate, cum olitorum diligentia. At Sabellicæ, præter illa quæ in caput conglobantur, non pauca in latitudinem folia expanduntur toroſa, hæc ideo nō temere lacuturria Plinij iudicatur.

Hoc obiter notandum in capitatis braſſicis excurrentium neruorum colorem, priſtino mutato induere folia. Tantam elegantiam hominibus inuident beſtiolæ complures, vt monet Theophraſtus, θηρία μὲν γίνεται ταῖς ῥαφανίσι σκώληκες, τῇ δ' ῥαφανίδι κάμπαι καὶ ψύλλαι. At vt à culicibus vindicarent antiqui Theophraſtus auctor eſt orobos ſuperſeuiſſe, ἐν ταῖς ῥαφανίοις, inquit, ὀρόβους (ἐπισπείρουσι) πρὸς τὰς ψύλλας. rurſus. ὡς μὲν ἐν ταῖς ῥαφανίοις πρὸς δ' μὴ κατέσθεσθαι ὑπὸ τῶν θηρίων (τοὺς ὀρόβου, ἐπισπείρουσι) ſic enim legendum his in locis, non vt vulgati codices habent. Olitores noſtri cinerem ſolo ſuperſternunt vt culices arceant, & ne generentur impediant. Denique braſſicæ frequenti præſectione & pruinis ſuauitatem acquirũt, præter Ægyptiam, quæ non eſtur ob amaritudinem ſi ſuo ſeipſæ propagent ſemine, inculto in agro, degenerant in ſylueſtres; quidam in napum mutari putant ſimilitudine radicis decepti, nam ſi guſtum in conſilium aduocaſſent, alia fuiſſet eorum ſententia, alij in ſinapi quoque degenerare ſcribunt, ſed illud fieri poſſe non video. Cæterum Braſſicis ſummum cum vite diſſidium, nam eidem ſolo mandatæ, aut illi noxam inferunt, aut ipſæ accipiunt.

Temperamentum, & vires.

In braſſica duæ ſunt partes, altera tenuioris ſubſtantiæ, altera craſſioris, quam Græci κράμβης σῶμα vocant, temperamento & viribus contrariæ. Illa iuſcula, quod Hippocrates χυμὸν, χυλὸν, & ὕδωρ κράμβης nominat, communicatur: nec minori ex parte in ſubcrudis foliis retinetur. expreſſione etiam è crudis ſeparari poteſt, vt autem omnia diſtinctè perſequamur, primũ de poſtrema nobiliori, & præcipua parte nobis agẽdum. Temperamento ergo eſt in medio primi gradus, & in extremo ſecundi ſicco, ideoque terget, & reſoluit. Vlceribus admota prodeſt, indureſcentes inflammationes tollit. Eryſipelati contumaci,

maci, epinyctidibus, herpetibus, & impetigini medetur; cum farina fœnugræci, & aceto, dolores arthriticos mulcet, carbunculos ex ſale rumpit. Aſſumpta emollit aluum, & ſoluit, quia ſalſi, & ſubamari nonnihil obtinet. Vim etiam habet diureticã. Hippocrati enim & Dioſcoridi, vel reclamante Galeno, credendum experientia docet. Itaque menſtrua promouet, ſecundinas eiicit, præcipuè ſi folia primum ſubcruda comedantur, eorumque deinde iuſculum ſorbeatur, eodem modo prodeſt non ſolum ſcirrho vteri, ſed & ipſius orificio aſperiori ab eodemque illatarum ſuffocationum curationi, & medicamentis ad dolores à matrice ſedandos, & ſtomachicos, ſiue cæliacos affectus compoſitis admiſcetur, vtilis enim partibus neruoſis, & cerebro, cui Natura videtur illam dicaſſe, quare expreſsitius ſuccus naribus infuſus illud expurgat: quin ſi à ſubcrudorum foliorum eſu primordia cœnæ quiſpiam ducat, ſe ab ebrietate tuebitur; cuius rei cauſſam hanc aſſignamus, quod cerebrum præoccupantes braſſicæ vapores nebuloſas vini ingurgitati exhalationes ſua ſiccitate ſerenant, ſi autem poſt cœnam aliqua comedantur folia, iiſdem vim exhalationibus diſcuſſis, turbas in cerebro excitatas componit; oculis quoque ob nimiam humiditatem caligantibus prodeſt, eius ſuccum optimo cum melle vel angulis oculorum ſolummodo tactis plurimum conferre dicunt; lienoſos cruda ex aceto manducata iuuant; catarrhum ſiue pulmones ſiue alias partes inundantem exhaurit, & exſiccat; vocem interſeptam reſtaurat ſuccus cum melle coctus, ſi delingatur, aut eius cauliculi mandentur, ſed, quod in illis eſt palearum inſtar, exſpuendum. at etiam ſi braſſicis omnibus hæ omnes inſint vires, non tamen pares animaduertas, ſed in quibuſdam intenſiores. Omnium præſtantiſſima eſt marina, hanc ſequitur ſylueſtris, tertio collocanda eſt ordine braſſica rubra, ex reliquis ſunt eligendæ à mangonij fuco lõ-

gius recedentes, quæ enim virorem ſuum, vel mangonio, vt capitata alba & rubra, vel coctione magna exuerunt, nil aut certe minimum retinent illarum facultatum; quare apud antiquos locum percocta braſſica nõ habuit, ſed viror gratiam augebat: quin ipſum vt ſeruaret ante coctionem nitro, aqua nitrata, aut cum ſale macerabant: ſi autem eouſque cocta ſit, donec contabuerit, & vna cum illa tenuiori ſubſtantia, viridis color euanuerit, eſt frigidi & ſicci temperamenti, craſſamque cum viſciditate ſubſtantiam habet, ideoque aſtringit, alimentum corpori ſed paucum, & melancholicum ſuppeditat, ventriculum inflat, cerebrumque craſsis impetens vaporibus, non ſolum horrenda inducit inſomnia, ſed & oculis caliginem offundit, animæ grauitatem facit, gingiuis nocet, neque omnia percoctæ crimina diluit poſt illam comeſtam iuſculum cui fuerit incocta ſuperhauſtum: dum enim contrariæ ipſius facultates inter ſe pugnant, ventriculo faceſsit negotium: hoc tamen habet boni in cibum aſſumpta, vt bilioſarum mulierum mammas lactis copia diſtendat, & alui profluuiis nonnihil conferat.

De radice & caule.

Radicis decoctum eſt tenuium partium ad calculos, itaque antequam obduruerint, diſſoluendos commendatur.

Cinis ex combuſtis caulibus adeo deſiccat, vt cauſticæ facultatis ſit particeps, quocirca miſtus cum adipe veteri laterum dolores ſedat, bronchocelas diſcutit admotus, hoc enim remedium nulli ab antiquis excogitato cedit, reſoluendo. Eorundem medulla plebeculæ famem ſolatur, cum graui annona conflictatur. Caulorapi vero, & cauliflorae ſummam in lautis menſis gratiam habent.

De cymate & ſemine.

Pars illa quæ flores erat productura Græcis *κύμα* tanquam *κύημα*, aut *ἀπαλόθαλλος* dicitur. Latinis *Cyma, cymatis*, & *Cyma cymæ*. Noſtris *Cyme de chou*. Ipſi coctæ oleum, aceti & ſalis tantillum admiſcetur, ſicque non ſine ſuauitatis gratia in bellariis admittitur, ſaluberrima quidem totius braſſicæ pars: minorem enim ſtomacho noxam infert, & ad vrinas ciendas vtilior, alimentum vero corpori præbet exiguum, nec boni ſucci, ſi tamen ſale condîta ſeruetur, ſtomacho noxiam deprehendes. Sylueſtris vitium corrigitur ſi in lixiuio coquatur. Hippocrates ad emortuum fœtum ſupponebat cymam braſſicæ netopo illitam. Dioſcorides tamen hoc de floribus intellexiſſe videtur, & ſterilitatem inducere dixit.

Semen ebrietati conferre teſtatur Athenæus. Aduerſus vermes Galenus commendat præſertim Ægyptiæ, quod amarius ſit. Dioſcorides etiam cœliacis medicamentis admiſceri auctor eſt.

FINIS.


Viola Tricolor
Viola Martia
Degener
Duplex
Simplex

VIOLA.

Græcis ἴον, & Latinis *Viola*, ſignificat quamlibet plantam, cuius flores præ elegantia oculis noſtris arrideant: at ſtrictius accipitur pro ſpecie, quæ Græcis ἴον & ἴον μέλαν, ſiue μελάνιον; à Theophraſto etiam ἰωνίαν reperio dictam; vocatur & ἴον πορφυρῶν, Latinis *Viola nigra*, *Viola purpurea*, & viola Martia. quidam violariam nominauere. Qui vaccinium putant etiam dici, ab opinione debuerunt dimoueri auctoritate Virgiliana:

Et nigræ violæ ſunt & vaccinia nigra.

Vitruuius quoque diſtinctas eſſe plantas oſtendit, cum ſcribit ex violaſilis Attici colorem effici poſſe, eademq; ratione vaccinium temperantes, & lac miſcentes purpureum facere elegantem. Gallis, *Violette de Mars*. Arab. *Seneffrigi*, *Sonofrigi*, & *benefefigi*. Italis *Viola porporea*, & *viola mammola*. Germanis *Merthenviollen*. Hiſpan. *Violeta*.

Species.

Duplex eſt odorata, & inodora.

ODORATÆ *forma.*

Fibris tenuibus albis capillata eſt radix, quæ licet per ſumma ceſpitum diffundantur nihilominus aduerſus hyemis gelidiſſimæ rigorem ſeſe tuentur: inde cauliculus pollicem longus, ſcaber, folia enim prima quæ deciderant, ſingula in ipſo tubercula relinquunt, illa autem vtroque ex latere per initia in anteriorem partem conuoluta ſurgunt, paulatimque ſeſe expandentia. latitudinem aſſequuntur pollicarem, longitudinem vero paulo maiorem, figuramque cordis planam exprimerent, niſi mucro breuior & obtuſior eſſet: per margines leuibus, at crebris inciſuris ſerrata ſunt: faciem habent vtramque lanugine exili, ſed denſa pubeſcentem. ſubuehũtur pediculis quatuor digitos lon-

gis, tenuibus, parte prona teretem figuram affectantibus, & lanuginosis: supina vero planis, & glabris, originem denique ducentibus è sinu exilium foliorum, & in acutum mucronem desinentium, nonnihil per margines crenatorum: ex eodem loco petioli nascuntur, qui sunt quadranguli coloris è viridi pallescentis, pediculos æquantes longitudine, in sui medio folia duo producentes, eis quæ in basi sunt similia, sed longe minora, fastigium inferiora versus curuatur, finiturque in quinque folia parua rotundis oblongiora, calycis vice præbentia originem flori totidem foliolis constanti, semidigitum longis, ex cæruleo, & subnigro colore purpureis, aut albicantibus, ex his duo paulo minora sursum eriguntur, duo sunt ad latera collocata nihilominus deorsum aliquantulum inclinant, & in interiori vnguis parte insignita sunt albæ lanuginis flocculo, inferius fere orbiculare, & venulis ad vnguem saturatius coloratis distinctum, omnia denique vnita basi in corniculum obtusum desinunt, vnguemq. habent albidum. Cæterum huius odoris gratia multas prouocat plantas, si ex spatio distanti olfaciens iudicium feceris; alioqui enim, quod crassarum est partium, à flore non multum recedens odoris gratiam imminuit. Succedit loculamentum seminis angulare, breuissimis pilis lanuginosum, tandemque in tres partes aperitur, & semen effundit tenue, in rotunditate oblongum, tamen altera ex parte crassius.

Floret Martio, nec vltra mensem illum odoris sui gratiam seruat. Illa tamen quæ cultu florem duplicem assequuta fuit, toto fere anno floribus luxuriat suauissimum odorem retinentibus; Quæ cum eum à duplici degenerare incipit folia quidem duplicat, sed longum calyculum ex ipsis mediis exerit, vnde quasi alterius floris rudimentum exoritur.

Nascitur non in hortis solũ, sed & in incultis sine vlla odoris imminutione, quod si quis illum augere velit, iuxtà cepas, aut allia serat.

INO-

INODORA.

Speciem aliam constituo, & quod in ea odor desideretur, inodoram voco, potiùs quam syluestrem, quia vt diximus non minori odore fragrat syluestris quam hortensis. si cui μελανόφυλλον vocare libuerit, per me licet.

Forma.

Cauliculum producit triangularem, vnde folia superiori similia, sed minora, coloris è subnigro, & purpureo viridis, quæ tandem vt & pediculi è subnigro virescunt. petioli multo longiores quam superioris, vnde flos ab eadem non dissimilis, tamen dilutioris coloris: est & eiusdem speciei quæ album florem profert. ante seminis maturitatem cauliculus ad semipedalem altitudinem sese attollit, nouosque flores profert in multos vsque menses: succedunt capsulæ triangulares, in quibus semen superiori simile, vt & cætera.

Nascitur in syluis.

A Martio ad Iunium floribus decoratur.

Temperamentum & vires.

In viola odorata, vt & in aliis compluribus multæ sunt partes viribus distinctæ, radix quidem, vmbilicus, & semen suis qualitatibus elementariis proxime ad mediocritatem accedere videntur, vimque habent catharticam. radicum enim vnciæ tres concisæ, & in aquam feruentem, cum ab igne remouetur iniectæ, aut vino per noctis spatium infusæ vim purgatricem ipsis conferunt. semen pulueratum, & liquori immistum, sesquidragmæ pondere, idem præstat. Vmbilicus multo est debilior, eamque vim communicat aquæ cui infunditur, ex qua fit syrup. violarum, quem ex infusionibus vocãt. humores autem deijciunt biliosos, serosos, nec admodum pertinaces. folia vero

ſubfrigidam & aqueam ſubſtantiam habent ſuperantem. Itaque phlegmonas mitigant, æſtuantem in ventriculo, & oculis calorem ſedant : in olere ſumpta leniunt aluum. florum autem foliola duabus conſtant ſubſtantiis, frigida, & humida, quæ facile exhalat; altera nonnihil acri, & in fine primi gradus calida, quare pleuritidi, & pulmonibus acri, tenuique diſtillatione vexatis miſtæ conferunt; inflammationes extingunt : nec ſine cõmodo admouentur cerebro intemperie calida vexato. Ictericis etiam conferre dicuntur. è foliolorum ſucco paratur ſyrupus colorem violæ retinens, qui ad illa omnia vtilis eſt, ſitimque & ardorem febrium ſedat, præſertim ſi ſpiritus vitrioli aliquot admiſceantur guttæ : quod autem aiunt comitialibus mederi, experientia docuit non vacare impoſtura, antiquorum ſcripta non ſine mendis ad nos traducta malim aſſerere.

Cæterum duplicis flores antequam ſint expliciti, ſale & aceto conditi ſeruantur, atque in bellariis non ſine gratia locum habent. Inodoratæ vires mihi nondum ſatis innotuere.

TRICOLOR VIOLA.

Doctiſſimi viri hanc tricolorem violam vocarunt, revera non debet à violæ familia diſiungi. Græcis itaque ἴον τρίχρωμον dici poterit. quidam φλόγα Theophr. & Violam flammeam Plinij hallucinantur, neque enim ipſa herba ἀνὰ eſt, neque ῥίζα ξυλώδης. Gallis *Penſée.* Germanis *Frenſcham Krant.*

Forma.

Radices ſunt admodum paruæ, perfectoque ſemine pereunt, multi inde caules vt plurimum triangulares, & geniculati, pede interdum altiores, viridi colore diluto; è ſingulis geniculis tria folia oriuntur, Mercurialis quodammodo ſimilia, ſed minora, è quibus medium eſt aliis duplo maius, quæ in ſua baſi vtrinque

apendi-

apendiculam habēt profunde incisam. ad caulis fastigium è sinu pediculi maximi folij surgit petiolus lōgus triangularis, qui antequam curuetur, duo parua folia profert alba, quorum alterum est origine altiori, tandemque vt in viola martia finitur in alabastrum ipsius simile, nisi folia ex quibus conflatur essent in basi paululum incisa, & media sui parte adnata vmbilico gratiam augerent, flos eidem violæ similis, sed aliquanto maior si non desit cultus, foliolaque habet ad rotundã figuram propius accedentia, corniculum quoque est minus, colore etiam interdũ elegantiore superbit; lateralia foliola tribus lineis insigniuntur, è purpura nigrescente, coloreque luteo, & violaceo variantur: inferiori maior pars lutea est, & distincta septem aut octo venulis è subnigro purpureis, reliquum est violacei coloris. nihilominus tanta est in hoc flore varietas, vt qui describere voluerit immensum & inutile aggrediatur opus. semen inclusum est capsula rotunda simile violæ Martiæ.

Colitur in hortis, & in aruis vel sterilibus, præsertim arenosis nascitur, longe tamen strigosior.

Temperamentum.

Humido est in secundo gradu, frigido verò in primo; emollit sed minus quam malua, aiunt & infantium comitialis morbi paroxysmis, & febricitantibus prodesse: item ad pulmonis, pectorisque inflammationes conferre, & ad scabiem, vlcera verò glutinare non crediderim.


Meleagris
Ανακύρλη

MELEAGRIS.

Caperon Aurelianensis hanc Clusio primus indicauit, fritillariæ nomine, sed quid esset fritillus ignorare se indicabat: sine ignorantiæ argumento suum ipsi nomen tribuere poterat ; ad Gesnerum missa, fuit ab ipso Meleagris nominata, ob diuersum in flore colorem. Dodonæus iudicio acerrimus, illum sequutus est; alij alia nomina indidere. Nos vero duobus illis viris subscripturi Meleagridis nomen retinebimus. Rustici Mercienses in agro Blesensi, apud quos frequens nascitur *cocous rouges* vocant.

Species duæ sunt, prima nomen retinet, generis, altera *ἀνακώρτη* vocatur.

MELEAGRIDIS *forma*.

Meleagridis bulbus tanquam ex duobus compactus media linea diuiditur, non turbinatus aut rotundus omnino, sed lateribus vtrinque protuberantibus oblongior, candidi coloris, pisi magni crassitudinem æquat. Cum vero caulis adoleuit,qua apparet linea, medius aperitur, vt nouo bulbo increscenti cedat, qui ipsius exitio intumescit,eaque parte extuberat qua magis compressus erat: sic quotannis renouatur. Caulis ex intimo bulbo surgit ad sesquipedalem altitudinem, si inter dumeta lateat, si minus, breuior, crassitudo est triticei culmi: huius pars è terra emergens, sæpius ad primum vsque folium, & à quarto ad florem vsque protensa, punctulis partim viridibus, partim è purpureo nigrescentibus variatur: medium spatium virescit, aut saltem minus conspicuis ornatur punctulis: ipsi octo, vel pauciora adnascuntur folia, diuerso & spatio, & ordine sita, raro enim duo ex aduerso posita videbis, in quo-

rum exortu caulis aliquantulum protuberat, basimque habent angustiorem, & crassiorem; medium latius, & tenuius, inde paulatim in acutum desinunt, nec dodrantem dimidium longitudine, nec tertiam digiti partem latitudine superant. flos vnicus, aliquando geminus è summo cauliculo dependet, forma tereti, eaque profunditate, & latitudine, vt postremum pollicis articulum possis immittere: sex constat foliis ita dispositis, vt tria reliquorum margini ad mediam vsque partem imponantur, vnde in acutum desinentia aliquo separantur interstitio; at ne superiori parte flos angustior esset, ibi rigidiora sunt foliola, neruoque è virore pallescenti, aut purpurascenti firmantur, interiusque mediam cauitatem, exterius prominentiam ostendunt plicaturæ instar. florem elegantissimum non commendat odor, nullum enim habet, sed naturæ lusus; nam notulæ fere quadrangulares, aliæ dilutæ admodum purpurascentes, aliæ saturato colore purpureæ, ordinem & formam latruncularij abaci referunt. stamina sex sublutea, medium pistillum in extremo trifidum circundant.

Flore excusso siliqua succedit triangularis, foliaceo semine rufescenti plena.

Nascitur in vdis dumetis, quibus tamen lætum & leue subest solum.

Allata est ex Hispaniis quæ quadruplici flore caulis fastigium coronat. Cæterum alibi coloratior, alibi dilutior nascitur. Pictauienses agri candidam proferunt. ego erui incultis in agris quæ flore erat pleno.

Temperamentum & vires.

Bulbus siccus in secundo gradu, & in primo calidus cum partium

partium tenuitate, calculis è renibus deturbandis prodeſt. flos vero humidus in ſecundo gradu, & in primo frigidus, quare non tantum ardentibus febribus confert, ſed & ſedandæ ſiti, ex huius ſucco fit vnguentum ad carcinomatoſa vlcera præſtantiſſimum. Vim prætereа hic flos roborandi cordis & cerebri non parum poſſidet, meconiique vt me docuit experientia malignitatem infringit. aqua vt decet diſtillata oculorum inflammationibus ſuccurrit.

ANAKYPTH.

Sic vocatur, quod repanda habeat foliola.

Forma.

Huius caulis altior eſt, & craſſior, foliiſque ſexdecim, interdum paucioribus veſtitur, quæ quam ſuperioris latiora ſunt, & ſpiſſiora, ſuamque latitudinem à baſi conſequuntur, etiam ad ſui vſque medium ſeruant, inde paulatim anguſtiora, & tenuiora facta in mucronem deſinunt, totaque ſunt albo puluiſculo conſperſa. flos vt in ſuperiori deorſum dependet, ſed forma differt aliquomodo, cacumen ſiquidem habent anguſtius, præterea foliola qua parte incipiunt à ſeſe diſtrahi repanda fiunt, tria vero quæ aliis imponuntur, ſunt anguſtiora, & exteriori ex facie eiuſdem prorſus coloris, ſed interiori, præſertim in media, notulam habent luteam, vtraque ora luteis variatur punctulis, & è ſubnigro purpureis, alia vero limbum habent luteum venulis è purpura nigreſcentibus diſtinctum. Interiori vero ex facie colore ſunt luteo. Cæterum notulæ quadrangulares minus apparent quam in meleagride, & ſunt minores. ſtaminibus imponuntur

apices puluiſculo albo ſordeſcentes. ſtilus coloris eſt pallidi. grauem denique flos ſpirat odorem. reliqua ſuperiori ſimilia.

Floret ineunte Maio.

A Pyrenæis montibus ad me miſſa.

Propter raritatem neque temperamentum, neque vires explorare potui.

FINIS.

INDEX



INDEX.

Ορεί-

ERRATA.

*Pag.*3, *vers.*14.*lege* rimoso. *p.*4.*v.vlt.dele* sunt. 6,17. ipsæ. 7,18. nomen. 8,2. Ilignam. 20. tuberculis. 21. solem. 23. Platyphylli. 9,v. *vlt.* amat. 12,20. Ingrato. 13,7. ἐμπλῶες. 23. aquifolij. 14,21. virentia per margines. 18, 5. pumicem siue pumiceos lapillos, muscum, racemum. 24,17. ἐλάτη. 41,19. retundunt. 44,12. Plinio, Gallis *œillet*. 46,18. imponitur coloris. 48,22. qui. 51,10. distinguntur. 22. latent. 56, 9. aliarum. 60, 19. interdum rubentes, exigui, κεραβειδοῦς. 67,8. καμπυλώα. 69,22. hyssopi vulgaris. 70, 13. thylacitis. 79 23. pulueris a.81, *v.penult.* exaduerso posita. 22. crenata. 89, 8. habentem, 91, 27. longi. 97,9. spadicei. 99,7. nutantem. 12. stilum. 115,4. chrysanthi. 120,2. plangini. 128, *vlt.* τῆς. 130, 18. siliquæ. 135, 5. sabellica hiemem tolerant, aëremq. 23. altero cultu in alteram se effundunt luxuriem atq. sabellica. 136,23. iusculo. 137, 19. vini. 138, 6. *dele* cum. 141, 11. viola filis.